MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM,

INDE

A MEGALANDRI LUTHERI REFORMATIONE

ad nostra usque tempora

CLARISSIMORUM,

RENOVATÆ.

DECAS PRIMA.

Collegit, recensuit,

& cum

ADDITAMENTIS QVIBUSDAM

edidit

M. REINH. HENR. ROLLIUS,


WESTPHALUS.

ROSTOCHI & LIPSIÆ,

Impensis Christ. Gotthold Garmanni,

Anno M. DCC. X.

VIRO
Illustri, Consultissimo &
Excellentissimo,
D. Joanni Burchardo
Menckenio,
Consiliario & Historiographo Regio, Historiarum in Academia Lipsiensi Professori,
ut &
Illustris Societatis Regiæ
Britann. Socio,
JCto et Polyhistori
per orbem celeberrimo,
Patrono ac Fautori suo suspiciendo,
ILLUSTRIUM VIRORUM
Decadem Primam
cum
ardentissimo
Felicitatis perpetuæ
Voto
D. D. D.
M. Rein. Henr. Rollius,
Westphalus.



Σὺν Θεῷ!

PRÆLOQUIUM.

ILlustrium doctrinâ & scriptis Virorum studiosè conservare memoriam, quamvis sint, qui indignum censeant eruditorum personis; longè tamen plures esse, quibus idem magnoperè probatur institutum, id verò qui rerum quotidianarum non fuerit ignarus, exploratum, credo, habebit atq; perspectum. Et sanè si, quod æquitas postulat, dicendum, accuratiori mentis trutinâ rem secum pensitant posteriores, ut quos nusquam fugiat, isthoc in scribendi negotio aliquam ponentes operam non id solùm habere sibi propositum, ut ab oblivione vindicent doctorum hominum memoriam, sed & hoc quàm maximè, ut studium similium virtutum in animis aliorum excitent. *Etenim* (ut est apud Henningum Wittenium V. C. in Memoriis Philosophorum renovatis, Tom. II. Dec. V. p. 31.) *habet acres in animis excelsis ad virtutem stimulos eorum, qui cum laude vixerunt, per exemplum, quasi per speculum vivum atq; ardens, propositum accensa æmulatio.* Quo cum effato congruit illud C. Sallustii de bello Jugurth. *Ita profectò se res habet. Majorum gloria posteris lumen est.* Et istud Luciani in Toxari: *Existimamus sanè, nos rem vehementer conducibilem etiam his, qui in vita sunt, esse facturos, si præstantium virorum memoriam celebremus*

mus bonoremq́; habeamus defunctis : siquidem futurum ità arbitramur, ut multi apud nos illorum similes evadere cupiant. Ut proinde elogiis encomiisq́; multò censeam dignissimos, qui de vitis exponere clarorum Virorum operæ duxerunt pretium. Et recentioribus quidem, quod nulli diffitemur, hac quoq́; in re viam antiquiores præiverunt. Sed dolendum magnopere, plurima horum scripta (quam in rem vide Jo. Wouwerium de Polymathia c. XII. p. 97. & 104. Gerh. Jo. Vossium in Arte historica c. VII. p. 40. 41. edit. Lugdun. Batav. M. DC. LIII. in 4to.) ætatem non tulisse. Inter quæ cæteroqui omnium præstantissimum Philonis Byblii Grammatici opus non negabit, qui, teste Suidâ in Φίλων, integris XXX. libris constitisse ipsum haud ignoraverit, περὶ πόλεων καὶ ἃς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε, de urbibus & quos earum quæq́; celebres genuit, agentibus : qui sane si exstarent, Autore Jo. Jonsio, Viro eruditissimo, lib. III. de Historiæ philosoph. scriptoribus, c. VII. p. 242. edit. Francofurt. M. DC. LIX. 4. *multis jam rixis de patria virorum illustrium foret remedium.* Cæterum ex antiquioribus istis Biographis qui superant, hi ferè sunt : Diogenes Laërtius de Vita, moribus & placitis Philosophorum, Philostratus & Porphyrius de Vitis Sopnistarum, Cunapius Sardianus de Vitis Philosophorum & Sophistarum, Hesychius Milesius de Viris eruditione claris. De quibus omnibus singulisque in de Sectarum philosophicarum scriptoribus Græcis & Latinis Tract. Historico - Ccritico D. V. pluribus. Biographi recentiores in duplici sunt differentia, alii enim unius tantùm alteriusq́; viri eruditi percensuerunt

runt

runt gesta, alii vitam & facta multorum scripto fuerunt complexi. Inter illos principem suo merito locum tuentur, omnium quippe eruditorum promeriti calculum, Joach. Camerarius Phil. Melanchthonis, Jo. Fechtius Joh. Gebhardi, Petrus Gassendus Nic. Claudii Fabricii Peirescii, Paul. Gualdus Jo. Vinc. Pinelli, P. Fulgentius Pauli Sarpii, Nicol. Rigaltius Petri Puteani, Henr. Valesius Dionysii Petavii & Jac. Sirmondi, Jo. Casa Petri Bembi & Casp. Contareni, Jo. Hagius Petri Lotichii secundi, Dan. Heinsius Josephi Scaligeri & Hugonis Grotii, Josias Mercerus Petri Pithoei, Jo. Henr. Majus Jo. Reuchlini, alii aliorum Biographiis celebres. Quò & referendos putaverim propriæ Vitæ scriptores, nominatim Andr. Schottum, Jac. Aug. Thuanum, Hieron. Cardanum, Marianum Scotum, Abrahamum Scultetum, Franc. Junium, patrem, Jo. Cothmannum, Theologum, Andr. Dan. Habichhorstinum, alios, de quibus ex instituto peculiari propediem D. J. Schediasmate. Inter hos præcipui habebuntur, alphabeticâ serie collocati, sequentes: Benedictus Accoltus in Dialogo de præstantia virorum sui ævi, Melch. Adamus Silesius in vitis Theologorum, JCtorum, Medicorum & Philosophorum Germanorum, Nicol. Antonius in Bibliotheca Hispana, Guil. Batesius in vitis selectorum aliquot virorum, qui doctrinâ, dignitate aut pietate claruerunt, Jo. Jac. Boissardus in Bibliotheca Calcographica illustrium virtute atq; eruditione in tota Europa virorum hujusq; Continuatores, Seb. Furckius & Clemens Ammonius, Paulus Colomesius in Gallia Orientali, Laur. Crassus in Elogiis hominum literatorum, Franc.

Grudæus Crucimanius in Biblioteque de France, Valerius Andreas Deſſelius in Bibliotheca Belgica, Janus Nicius Erythræus ſive Jo. Victor Roſcius in Pinacotheca virorum illuſtrium, Jo. Alb. Fabricius in Bibliotheca Græca & Latina, Paul. Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum, Hieron. Ghilinus in Theatro hominum literatorum, Matth. Hanckius in de Byzantinis & Rerum Rom. Scriptoribus libris, Jo. Imperialis in Muſeo Hiſtorico, Paulus Jovius in Elogiis doctorum Virorum, ab avorum memoria publicatis ingenii monumentis illuſtrium, Jo. Papirius Maſſonus in Elogiis, Jo. Meurſius in Athenis Batavis, Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis, Henr. Pantaleon in Proſopographia illuſtrium virorum totius Germaniæ, Carolus Perraultus in libro, cui titulus: Les hommes illuſtres, qui ont paru en France pendant ce ſiecle, Jo. Andr. Quenſtedius in Dialogo de patriis illuſtrium doctrinâ & ſcriptis virorum, Scævola Sammarthanus in Elogiis virorum doctrinâ illuſtrium, Simon Starovoſcius in centum Scriptorum Elogiis & vitis, Franc. Sweertius in Athenis Belgicis, Anton. Teiſſierus in libro: Les eloges des Hommes Scavans, tirecte d'hiſtoire de M. de Thou, avec des additions contenans d'abregé de leurs ouvrages, Andr. Thevetus in Hiſtoire de plus illuſtres & Scavans hommes de leurs ſiecles, tant de l'Europe, que de l'Aſie, Afrique & Amerique, avec leurs pourtraits en Taille-douce tires ſur les veritables originaux, Jac. Phil. Thomaſinus in Elogiis virorum illuſtrium, Jac. Auguſtus Thuanus in Elogiis Virorum ſec. XVI. & XVII. illuſtrium, Jo. Trithemius in de luminaribus Germaniæ

libro

libro f. Catalogo illustrium Virorum Germaniæ, Anton. Verderius in Bibliotheca Gallica, Gerh. Jo. Vossius in libb. de Historicis Græcis & Latinis, unà cum supplementis, futuris, ut audio, nundinis, curante Fabricio prodituris, Henningus Wittenius in Memoriis renovatis: quas quoad Theologos, eorundem Centuriâ edita, continuavit ad nostra usq; tempora eruditorum ocellus, Henr. Pippingius, auxit supplevitq; vulgatis nuperrimè Elogiis quorundum Theologorum Germanorum, Sec. XVI. & XVII. clarissimorum, multò celeberrimus & venerandus maximè Lübecensium Præsul, Georgius Henricus Götzius. Qui ut in proposito perseverent pergantq; adeò de publica re præclarè mereri, publico ab illis nomine contendo. Cùm verò de continuandis Philosophorum vitis qui esset sollicitus, nemo, quod sciam, hactenus fuerit inventus, eam ego in me haud pridem suscepi spartam, in qua pro modulo ornanda ita versari apud animum constitui, ut Memorias Philosophorum laudati Wittenii ad nostram usq; ætatem continuem, omissos eidem, omni dignos memoriâ viros, superaddam, & deniq; ex seculo sexto decimo non paucos huc arcessam. Quod institutum ex ipso jam rubro cognoscere datur, ut in quo reformationis Lutheri, tanquam termini à quo, mentio fiat. Quamvis enim ex quintodecimo quoq; seculo nonnullos, producam Philosophos, pauci tamen illi sunt, quorum causa omnium maximè memorabilis periodi nomen omittere visum non fuit consultum. Ut verò scias Lector, quorum vitas præsenti Opere tibi sim suppeditaturus, en integræ, quam prelo paratam

 habeo,

habeo, hominum undecunq; doctissimorum Centuriæ catalogum! Ex SECULO XV. quatuor tantum venient recensendi: Joh. scilicet Centonius Camparius, Philologus & Episcopus Aprutinus, Rodolphus Agricola, Philosophus Heidelbergensis, Angelus Politianus, Historicus & Philologus Florentinus, Jo. Regiomontanus Mathematicus. Ex SECULO XVI. Joannes Nauclerus, Theologus, JCt. & Historicus Tubingensis, Marcus Antonius Coccius Sabellicus, Gymnasii Veneti Prof. & Historiographus, Jac. Sannazarius, Poëta Italus, Herm. Buschius, plurium in Germania Academiarum & Scholarum illustrium Doctor, Desiderius Erasmus Roterodamus, Theologus & Philologus, Jo. Cario, Historicus & Mathematicus Germ. Herm. Tulichius, Rector Scholæ Lunæburg. Casp. Contarenus, Historicus & Philol. Italus, Petrus Bembus, Orator, Poëta & Historicus Italus, Georg. Sabinus, Professor Acad. Viadrinæ, Arnoldus Burenius, Human. & Eloq. Prof. Rostochiensis, Val. Fridlandus Trocedorffius, Rector Scholæ Goldbergensis, Onuphrius Panvinius, Historicus Italus, Pet. Ramus, Eloq. & Mathem. Prof. Paris. Henr. Mensingius, Philos. Rostoch. Guil. Postellus, Lingg. Exot. & Mathem. Prof. Paris. Pet. Victorius, Philos. & Philol. Florentinus, Marcus Ant. Muretus, Orator Romanus, Ant. Augustinus, Theol. JC. & Polyhistor Hispanus, Franc.Hottomannus, JC. & Histor. Gallus, Barnabas Brissonius, Histor. & Polyhistor Gallus, Rein. Reineccius, Histor. Helmstadiensis, Hadr. Junius, Medicus,


dicus, Criticus & Philol. Batavus. Ex SECULO XVII. Franc. Junius, pater, Philol. & Theol. Lugdunensis, Justus Lipsius, Criticus & Philol. Batavus, Thom. Bodlejus, Eques auratus Anglicanus & Bibliothecæ Bodlejanæ fundator, Jo. Caselius, Philos. & Philol. Helmst. Marcus Hassæus, Ling. S. Prof. Rostoch. Jo. Posselius, Græc. Ling. Prof. Rost. Julius Cæsar Bulengerus, Theol. & Historicus Gallus, Phil. Jac. Fabricius, Eloq. Prof. Rostoch. Rob. Cottonus, Equ. auratus & Baronettus Angl. Bibliothecæ Cottonianæ Fundator. Petrus Laurembergius, Poës. Prof. Rostoch. Pet. Sassius, Logices Prof. Rost. Steph. Hein, Ebr. Ling. Prof. Rost. Georg. Dasenus, Math. Prof. Rost. Georg. Schedius, Rector Gymn. Gustrov. Jo. Huswedelius, Moral. Prof. Rost. Christ. Arndius, Log. Prof. Rost. Bernh. Taddelius, Græc. L. Prof. Rostoch. Jac. Dürfeldius, Rector Gymn. Osnabrug. Steph. Curcellæus, Theol. & Philol. Batavus, Henr. Vagetius, Log. & Met. Prof. Hamburg. Seb. Meier, Rector Lubecensis, Joach. Gerdes, JC. & Philol. Megapol. Jo. Lightfootus, Theol. & Philol. Anglus, Franc. Junius, Philol. & Polyhistor Batavus, Herm. Beckerus Mathem. Prof. & Past. Cathed. Rost. Herm. Conringius, Polyhistor Helmst. Jac. Gaffarellus, Theol. JC. & Philol. Paris. God. Vogtius, Rector Johannei Hamb. Jo. Joach. Bockenhoffer, Eloq. Prof. Argent. Christoph. Schraderus, Chronologus & Eloq. Prof. Helmst. Jac. Thomasius, Polyhistor & Eloq. Prof. Lipsiensis, Joach. Frischius, Juris & Mathem. Prof. Rigensis, Christ. Daumius, Criticus & Rector Cygnæus, Jo. Pet. Titius, Eloq. & Poës. Prof. Gedan. Wolfg. Rosteuscherus, Græc. L. P. Ged.

P. Ged. Jo. Vagetius, Log. & Met. Prof. Hamb. Dan. Georg. Morhofius, Poëf. Eloq. & Hift. Prof. ac Polyhiftor Kilon. Georg. Chriftoph. Gebhardi, Mathem. Prof. Gryphiswald. Andr. Arnoldus, Orat. Hift. Græc. L. & Poëf. Prof. & V. D. M. Norimberg. Dan. Lipftorfius, Rector Athenæi Brem. Cafp. Pofnerius, Phyf. Prof. Jenenfis Joach. Kühnius, LL. OO. Prof. Argent. Elias Obrechtus, Hift. Polit. & Eloq. Prof. Upfalienfis, Joach. Lindemannus. Phyf. & Met. Prof. ac V. D. M. Roftoch. Frid. Carpzovius, Polyhift. Lipf. Vinc. Placcius, Phil. pract. & Eloq. Prof. Hamb. Jo. Henr. Knoblachius, Rector Guftrov. Mart. Knorre, Mathem. Prof. Witteb. Benj. Potzerne, Log. & Met. Prof. Gryfch. Jofias Stædelius, JC. Philol. & Bibliopola Argent. Ex SECULO XVIII. Frid. Büttnerus, Prof. Math. Gedan. Matthias Frid. Beckius, Philologus & V. D. M. Auguftanus, Jo. Reiskius, Philol. & Rector Guelpherbytanus, Jo. Chr. Arthopoeus, Eloq. Prof. Argent. Jo. Georg. Gravius, Regis Britann. Hiftoriogr. Hift. & Eloq. Prof. Trajectinus, Nic. Ben. Pafcha, Rector & Prof. Stargard. Alb. Veielius, Phyf. & Mathem. Prof. Ulmenf. Bechrius, Eloq. & Poëf. Prof. Gedan. Chriftianus Röhrenfee, Moral. Prof. Witteb. Georg. Pafchius, Log. & Moral. Prof. Kilon. Otto Menckenius, Moral. Prof. Lipf. Jo. Godf. Herrichen, Philol. & Rector Nicolaitanus Lipf. S. C. Schurtzfleifchius, Polyhiftor Witteb. Chr. Cellarius, Eloq. & Antiqq. Prof. Halenfis, Chrift. Cryphius, Rector & Prof. Gymn. Magdalenæi Uratislav. Mart. Hanckius, Rect. & Prof. Gymn. Elifab. Uratislav. Chrift. Weife, Gymnafiarcha Zittavienfis, Jo. Joach. Reuffius, Ling. S. Prof.

Ged.

Ged. Wilh. Ern. Tentzelius, Philologus & Polyhistor Dresdensis, Jo. Casp. Baropius, Pro-Rector & Prof. Archi-Gymn. Tremon, Jo. Chr. Rosteuscher, Philos. & V. D. M. Gedan. Magnus Dan. Omeisius. Phil. Moral. Poes. & Eloq. Prof. Altdorfinus, Jo. Nicolai, Antiqq. Prof. Tubingensis. Hæc prima est Philosophorum Centuria, ex qua duas impræsentiarum produco Decades, hoc adornatas ordine, ut in singulis ex quovis Seculo nonnulli compareant. Conspiciuntur enim in I. Decade: R. Agricola, H. Buschius, A. Burenius, H. Mensingius, J. Caselius, M. Hassæus, C. Arndius, C. Schraderus, J. Lindemannus, J. J. Reussius. In II. H. Tulichius, V. F. Trocedorffius, R. Reineccius, J. Lipsius, P. Lauremberg ius, S. Hein, H. Vagetius, C. Daumius, D. G. Morhofius, & W. E. Tentzelius. De cætero publicè deprædico insignem in me favorem Clarissimi ac Præcellentissimi Viri, M. Gustavi Frid. Fechtii, qui non ex Maximè Venerandi Parentis sui solum sed & propria, quam possidet, Bibliotheca instructissima Philosophorum quam plurimorum Vitas, Centuriæ jam memoratæ insertas, benevolè mecum communicavit. Tu verò, Lector optime, majorem in modum precandus mihi es, ut præsentem de publico, merendi conatum favore tuo sublevare non dedigneris; quo fiet, ut ad secundam, cujus jam factum est initium, Centuriam pedem sim promoturus. Vale quam optime! Scribebam in Academia Rostochiensi, Cal. Febr. A. O. R. M. DCC. X.

SERIES



SERIES PHILOSOPHORUM

Primæ Decadis.

Obiit anno

1485. Rodolphus Agricola, Philoſophus Heidelbergenſis.

1534. HermannusBuſchius,pluriumAcademiarum & Scholarum illuſtriumProfeſſor.

1566. Arnoldus Burenius, Human. & Eloq. Prof. Roſtoch.

1580. Henricus Menſingius, Philoſophus Roſtoch.

1613. Joannes Caſelius,Philoſophus & Philol. Helmſtadienſis.

1620. Marcus Haſſæus,Ling. S. in Acad. Roſtoch. Profeſſor.

1653. Chriſtianus Arndius, Logices Profeſſor Roſtochienſis.

1683. Chriſtophorus Schraderus, Eloq. Prof. Helmſtadienſis.

1689. Joachimus Lindemannus, Phyſ. & Metaph. Prof. Roſtoch.

1707. Joannes Joach. Reuſſius, Ling. Ebr. Prof. Gedanenſis.

ORATIO
de
VITA
RODOLPHI
AGRICOLÆ,
FRISII,

Menſe Julio habitæ

à

IOANNE SAXONE,
Holſatienſi,*
cùm decerneret titulum
Magiſterii quibusdam honeſtis &
eruditis juvenibus
in Academia VVitebergenſi.

---

* Conſcripta eſt hæc Oratio à Philippo Melanchthone, habeturque in ejusdem Præfationum in quosdam illuſtres Autores, & Orationum de clariſſimorum Virorum Vitis, To. II. p. m. 451. ſeqq. edit. Argent. MDXLIV. 8vo.

A Plu-



PLurimum refert, nos ipſos rectè intelligere, genus vitæ,in quo verſamur, & hoc munus, quod divinitus nobis attributum eſt, videlicet conſervationem ac propagationem rectæ doctrinæ de religione & de aliis rebus honeſtis. Etſi enim ſplendoris plus habent alii vitæ gradus atque ordines, tamen ſi verè volumus æſtimare, ſumma dignitas eſt ſcholarum. His præcipuè ſervire imperia & omnes politiæ debebant. Cùm enim ad hunc finem homines conditi ſint, ut luceat in hoc mundo notitia Dei & propter hanc cauſam ſocietas civilis divinitus inſtituta ſit, ut cœtus ſint docentium ac diſcentium, ut accendi & latè ſpargi notitia Dei poſſit: ſatis apparet, ſummum eſſe officium omnium gubernatorum, Eccleſias ac ſcholas tueri. Cogitate quæſo, quàm auguſti & venerandi cœtus ſint angelici. Horum imagines in terris ſcholaſtici conventus eſſe debent, munus certè idem eſt & officium. Profitentur idem, quod canunt Angeli: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, & homini-

bus

bus lætitia. Sic Scholæ celebrare Deum, doctrinam paci & concordiæ Ecclesiarum utilem, & quæ cœlestem lætitiam pariat hominibus, propagare debent. Hanc tantam dignitatem nostri muneris, si cogitabimus & animo metiemur, & studia & scholas magis amabimus, & his ritibus & congressibus scholasticis magnoperè delectabimur. Si quis est autem, qui tam gravi causa non movetur ad amandas scholas, hunc verè

- - *genuit duris è cautibus horrens*
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera Tygres.

Decet igitur nos hunc promotionum morem, quem prodesse ad ordinem discendi comperimus, conservare.

Cùm autem hic de studiis oratio haberi soleat, & alii, in quibus plus est autoritatis, sæpè vel monstrent, quod iter ingrediendum sit, vel vos ad expetendam optimarum artium doctrinam adhortentur, ego vitam Rodolphi Agricolæ, quantum explorare eam potui, recitare decrevi.

Exemplorum enim magna vis est & bonæ naturæ cogitatione atque admiratione virtutis in viris præstantibus maximè

exuſcitantur ac incenduntur. Deinde hiſtoriæ eruditorum de multis rebus judicia juventutis formant. Cumque Rodolphus primum in Germania emendaverit genus ſermonis & Dialecticam, ac meliorem diſcendi rationem monſtraverit, conſentaneum eſt plerisque ejus dictis ac diſputationibus utiliter commonefieri ſtudioſos. Etſi autem nemo non amat Rodolphi nomen, propter ejus eruditionem ac merita, tamen privata me quædam officii ratio invitavit, ut de eo dicere maluerim. Nam cum mea patria non ſolùm Friſiis vicina ſit, ſed etiam Friſiorum colonia, quæ etiam hodie nomen retinet Friſiæ minoris in Holſatia, & in gubernatione Reipublicæ vetuſtam juris æquabilitatem non ſine laude tuetur, judico Rodolphi laudes aliqua ex parte ad meos cives pertinere. Quod cùm ita ſit, ſpero, vos meum conſilium de recitanda hiſtoria Rodolphi probaturos eſſe. Tametſi & ipſe optarim, colligi eam uberius ab aliis, qui apud eos vixerunt, qui Rodolphi vitam & ſtudia melius norunt. Nos pauca collegimus, ſumpta partim ex ipſius ſcriptis, partim ab iis, qui meminerunt ſermones ſenum, quibus in Academia Heidelbergenſi cum Rodolpho familia-

liaritas fuit. Nec institui encomium: Nam cùm ingentem gloriam eloquentiâ suâ consecutus sit, quæ ex scriptis ejus judicari potest, nil ei opus est laudatione, præsertim hominis indiserti, tantum historicam narrationem texo, in qua ea, quæ sciscitatus sum de vita, moribus & opinionibus ejus, verè recenseo, & testes gravissimos citabo. Porrò hæc commemoratio studiorum atque opinionum, non minus conducit studiosis, quàm bellatoribus stratagemata & consilia veterum Ducum nosse. Accedo igitur ad historiam.

Natus est Rodolphus Agricola in Frisia, in rure quodam non procul ab urbe Groninga, honestis parentibus, quorum facultates, ut sunt ibi, mediocres fuerunt, & unde liberis ad studia sumptus liberaliter suppeditare poterant. De primæ pueritiæ studiis cùm nihil audierim, non putavi aliquid fingendum esse. Nemo autem excellentem virtutem consequi potest sine magna vi ingenii & sine enthusiasmo aliquo, qui cùm sit acerrimus stimulus in bonis naturis, haud dubiè Rodolphus celeriter primas artes arripuit, ut ille inquit de heroica natura:

Ante annos animumque gerens curamque virilem.

Nam & ex ſcriptis ipſius & conſiliis apparet ingenii vis & impetus.

Cùm Germania corruptiſſimo genere ſermonis uteretur, tantaque literarum inſcitia eſſet, ut quid eſſet rectè loqui, ne quidem ſuſpicari noſtri homines poſſent, imò etiam inſulſitas admirationem haberet, unus Rodolphus primum auribus atque animo ſentire illa vitia & deſiderare meliorem orationis formam cœpit. Hæc fuit ſingularis prudentiæ ſignificatio: illa virium ingenii & doctrinæ, quod genus orationis effinxit purum, ſplendidum, ſonans, ſine ineptiis, rerum etiam pondere & gravitate probandum. Nec tantum prudentia fuit, ſed etiam quædam animi celſitudo & mira diſcendi aviditas, quod in Italiam, cùm patrimonium haberet mediocre, profectus eſt, ut melius doctrinæ genus quæreret. Ac ſi de ingenii laudibus multa dicturus eſſem, amplificare eas etiam patriæ prædicatione poſſem. Nam Friſia, ut olim magnitudine rerum geſtarum floruit, ità nunc quoque gignit ingenia nequaquam vulgaria, ſed cùm ad literas tûm ad gubernationem ma-

gna-

gnarum rerum idonea, & ut mihi videtur, non solùm sagacia & sana, sed etiam ingenuitate & animi celsitudine singulari prædita. Sed, ut dixi, Rodolphi ingenium ex scriptis æstimari potest. Lovanii audio eum tyrocinium primum deposuisse, ubi cum Gallorum appeteret familiaritatem, seu vitans nostrorum commessationes, seu quod illi essent eruditiores, statim inter illos simul Gallicam linguam didicit. In dialecticis & philosophia cùm percepisset celeriter ea, quæ in scholis tradebantur, ipse animo meliora requirere solebat, seque in Bibliothecas abdens, suô consiliô bonos scriptores legebat, multa interim disputans de eruditiore philosophia. Audierat autem renovari tunc Græcæ & Latinæ linguæ studia in Italia. Nàm post captum Byzantium, Græci pulsi patriâ, in Italiam multi venerunt, qui philosophiam & eloquentiam ibi renovarunt, cujus studia post collapsum imperium prorsus in Italia conticuerant. Intelligebat autem, sine Græcis literis Philosophiam percipi non posse. Cœpit igitur impetum proficiscendi in Italiam, ut & disertorum consuetudine ac exemplis genus orationis emendaret & Philosophiæ fontes cognosceret.

ret. Venit Ferrariam, ubi tunc quidem magis florebant studia Philosophiæ ac eloquentiæ, quàm in cœteris Academiis Italicis. Nam Hercules Dux Ferrariæ sentiebat, ad boni Principis officium pertinere curam juvandæ rei literariæ, ac delectabatur ipse eruditorum scriptis. Erat Ferrariæ Theodorus Gaza, qui eruditione & eloquentiâ facilè antecelluit Græcis omnibus, qui tunc in Italia erant. Ibi Guarinus Græcè & Latinè docebat, vir in primis diligens. Aderant & Strozæ Poëtæ, cum quibus apparet magnam fuisse familiaritatem Rodolpho. Extant & Mathematicorum scripta, qui apud Herculem tunc vixerunt. Denique omnes artes ibi felicissimè tradebantur. Quid potest autem homini ingenioso, incenso veræ doctrinæ amore, avido discendi, qualis erat Rodolphus, contingere optatius, quàm ut in tali cœtu Doctorum vivat? Hic solutâ oratione certabat cum Guarino, versu cum Strozis, de Philosophia disserebat cum Theodoro Gaza & cœteris summis viris. Audiebat professores omnium artium. Cumque pariter excoleret ingenium doctrinæ varietate, & in eloquentia elaboraret, totius in se Italiæ ora oculosque conver-

vertit. Magnâ cum laude disputavit, enarravit autores utriusque linguæ in illa ipsa Academia, habuit orationes magna cum approbatione eruditorum. Porrò magna laus fuit homini Germano, non solum eruditione & genere sermonis, sed etiam venustate actionis satisfacere Italiæ, morosè ac fastidiosè judicanti. Nec opinor, ulli Germanorum, præter hunc, Italos tribuisse tantum, ut publicè docentem cum admiratione audirent ac pariter eruditionem, genus sermonis & actionem probarent. Audio, sæpè rogatum esse Erasmum in Italia, ut specimen suæ eruditionis ac facundiæ publicâ prælectione præberet; sed, ut hac in re amicis morem gereret, adduci nunquam potuit, metuens, ne ab Italis pronunciatio hominis Germani derideretur. Ac sæpè prædicavit Rodolphi naturam, quem imitari Italicam venustatem sine ineptiis potuisse ferebat. Verùm Musicæ naturæ ad pronunciationem & actionem aptiores sunt cœteris. Constat autem Rodolphum ità excelluisse in Musicis, multas ut cantilenas composuerit: imò ut Italis fuerit jucundior, propterea quod interdum cytharâ luderet in conviviis eruditorum. Quanta

ta fuerit ejus sedulitas, inde æstimari potest, quod Quintilianum, suâ manu integrum descripsit. Ipse significat se in Italia naturalem historiam Plinii diligenter legisse, fortassis occasione invitatus, quod in eo loco facilius inquirere plantas potuit, & haud dubiè vidit Aristotelem & Theophrastum conversos à Gaza, quos cùm legeret, Plinium adjungendum esse duxit, ut, unde Gaza latinas adpellationes sumpsisset, observaret. Hæc collatio plurimum ei profuit, ad augendam & rerum cognitionem & verborum copiam. Porrò cùm se diligenter expoliisset inter doctissimos homines, tandem in patriam rediit, ubi non diu hæsit. Nam aliquantò post reditum accersitus est Heidelbergam à Dalburgio Episcopo Vangionum & Pleningero, quem ipse Plinium nominat: cum his enim in Italia Rodolpho familiaritas summa fuerat, qui postea ambo pervenerant in aulam Principis Palatini Philippi, qui, ut erat splendidus & non rudis literarum, & magnâ comitate præditus, volebat aulam habere ornatam literatis hominibus. Dalburgius Cancellarius deinde factus est Vangionum Episcopus. Is Heidelbergam vocavit Rodolphum, seu

ut

ut ejus consuetudine se ipse ad rectè scribendum assuefaceret, seu ut juventus haberet styli formatorem. Hujus Dalburgii contubernio usus est, quoad vixit. Et quanquam licuit esse otioso, tamen propter utilitatem juventutis, in Academia publicè docuit Græcè & Latinè. Nec duxit sibi parum honorificum esse, quanquam aulico, scholas habere.

Ut scholasticas operas nunc multi leviter tincti literis fastidiunt, ut est hujus perversissimi seculi superbia. Adiit crebrò disputationes omnium disciplinarum. In Philosophia emendabat ineptas persuasiones scholæ. Ibi etiam scripsit libros Dialecticos, ut artem repurgaret eamque è tenebris in lucem & in aciem educeret, usum videlicet monstrans. Senes Heidelbergæ narrant, mores ejus honestos & castos fuisse & à livore, malevolentia ac petulantia alienissimos. Non est solitus irritare morosos intempestivis reprehensionibus, ne quid sereret certaminum in schola, sæpè recitans, hospiti multa dissimulanda esse, ut Græcus versus inquit:

Ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.

Consulebatur sæpè ab eruditioribus & in Philosophia & in aliis artibus. Multa ex Ari-

Aristotele vertebat, & interpretabatur iis, qui ejus sententias sciscitabantur. Nemo tunc viderat libros Aristotelis de animalibus. Itaque pergratum erat ejus officium doctioribus, si quando aliquem insignem locum inde proferebat, ut cum, de immortalitate humanæ animæ disputaretur; quid sensisset Aristoteles, magna cum admiratione excepta est illa sententia, prolata ex libro de generatione animalium: Mens extrinsecus accedit, non nascitur ex materia corporum. Interdum aliquid ex Arato de siderum positu, ortu & occasu studiosis impertiebat.

Nec deerat ejus officium Professoribus aliarum disciplinarum. Fortè inciderat disputatio inter Theologos & JCtos de hoc dicto: *Frustra servat Evangelium, qui non servat canones synodorum.* Hoc cùm alii ad confirmandam superstitionem in ceremoniis detorquerent, alii τὸ ῥητὸν esse durius quererentur & mitigandum aliquâ interpretatione dicerent; Rodolphus inquit: In universum in Juris interpretatione multum prodesse cognitionem historiarum & antiquitatis. Ac præsertim Ecclesiæ historias & veteres contentiones debere notas esse omnibus, ex quibus,

bus ſæpè peti poſſit interpretatio veterum dictorum. Synodi veteres, inquit, vocabant Canones tantum articulos doctrinæ dijudicatos in Synodis, non traditiones de ceremoniis. Nec dubium eſſe, quin hæc primum fuerit ſententia hujus dicti, ſed poſtea errore depravatum eſſe. Verum eſt, Evangelium non ſervari ab iis, qui aſpernantur decreta contra Samoſatenum aut Arrium aut Macedonium facta. Nam vetuſtiſſimæ Synodi propter controverſias dogmatum convocabantur, non de ceremoniis cumulandis. Quam indigna vox eſſet, dicere Chriſti fidem inutilem & inanem eſſe ſine obſervatione omnium rituum humanorum? Lucem & vitam æternam in mentibus inchoatam extingui, ſi aliqua ridicula ceremonia negligeretur? Addebat, tales ritus ſæpe ſine ullo peccato omitti poſſe. Hâc tàm dextrâ interpretatione facilè ſatisfecit omnibus. Sæpe & in jure civili ea, quæ ab hiſtoriis petenda ſunt, explicabat interrogantibus, ut locum de uſuris centeſimis: item, quid ſit ἐρήμη δίκη, denique qui fuiſſent gradus veterum Romanorum judiciorum. In Theologia quid deſideraverit, memini huc ſcribere Joſquinum Gröningenſem

ſem ſenem, pietate & gravitate excellentem, ſe adoleſcentem interfuiſſe ſermonibus Rodolphi & Weſſeli, in quibus deplorarint Eccleſiæ tenebras & reprehenderint prophanationem in Miſſis, & cœlibatum: Item diſputaverint de juſtitia fidei, quid ſit, quod Paulus toties inculcat, homines fide juſtos eſſe, non operibus. Scribebat Josquinus, apertè rejeciſſe eos Monachorum opinionem, quæ fingit, homines operibus juſtos eſſe: Item ſenſiſſe eos de humanis traditionibus, errare eos, qui affingunt illis opinionem cultus, & non poſſe violari, judicant. Nihil fingo, nam hæc ferè ad verbum huc ſcripſit Josquinus. Ac ſatis credibile eſt, eum diligenter diſputaſſe de doctrina Chriſtiana, præſertim cum eſſet familiaris Weſſelo, cujus fuit ſummum ingenium: Ad quod ampliſſimam eruditionem in omnibus diſciplinis adjunxit, & Græcæ & Ebraicæ linguæ cognitionem. Adhæc exercitatus fuit in certaminibus Religionis. Lutetià pulſus propter taxatas ſuperſtitiones, venit Baſileam; ibi pro Weſſelo dixerunt Baſilium Gröningum: Narrabatque Capnion, eum Theologiam, Græcas & Ebraicas literas eòdem tempore tradidiſſe ſtudioſis, ſi qui e-
um

um audire cupierant. Inde cùm in Belgium rediisset, sæpè adiit senem Rodolphus natu minor, sed in literis Latinis & Græcis eruditior & flagrans studio Christianæ doctrinæ. Idque ipse sæpè de se prædicat, se, quod reliquum esset ætatis, collocaturum esse in sacras literas: qui si vixisset, haud dubiè egregiam operam Ecclesiæ navasset. Quanquam & illa studia Ecclesiæ profuerunt, quod nostros homines ad meliorem discendi rationem revocavit. Id meritum non est leve ducendum. Sed redeo ad historiam.

Cùm ita viveret Heidelbergæ, ut eruditis & bonis omnibus charissimus esset, non solùm in notitiam venit Ducis Palatini Philippi, sed etiam familiaritate ejus Princeps delectatus est ac sæpè eum ad graves deliberationes adhibuit. Cumque, ut fit, mentio interdum incideret veterum Imperiorum, ac Rodolphus commemoraret vel Græcas historias, vel Romanas, Princeps & verti sibi multa non solùm ex historiis sed etiam ex Poëtis jussit, & petivit, sibi contexi integram seriem quatuor monarchiarum, ut ordinem rerum melius videre & incrementa atque inclinationes & harum causas considerare pos-

possset. Nam hæc exempla præsertim Principes monere de plurimis rebus possunt. Contexuit igitur Rodolphus eruditissimam Epitomen ex Bibliis & Herodoto, de Assyriorum & Persarum Imperio, de civilibus discordiis Græcarum civitatum ex Thucydide & Xenophonte, de Philippo & Alexandro, & successoribus, ex Diodoro & Polybio. Deinde lectissima quæque excerpsit ex historiis Romanis. Postremò & Germanici regni res præcipuas collegit. Ac in eo scripto non solum laboravit, ut res tantas perspicuè narraret, sed etiam ut obiter legentem Principem pleraque moneret: qua in re apparuit, eum non modò literis, sed etiam civili prudentiâ excellere. Sed cùm jàm ætas maturuisset, cùm jàm lucubrationes Theologicas inchoasset, non multum supra quadragesimum annum egressus, rebus humanis exemptus est. Spero enim, immortali lætitiâ donatum esse, cùm legamus, eum piè sensisse de Christo ac studia ad gloriam Dei destinasse, & mores fuisse pios & honestos audiamus. Habetis historiam vitæ Rodolphi.

Nunc reliquum est, ut talis viri memoriam grati conservetis. Cogitetis, quan-

quantum fuerit ornamentum Germaniæ, quàm benè de literis meritus sit. Primus enim in Germania emendare genus sermonis cœpit & accendit Latinæ & Græcæ linguæ studia. Quare ei plurimum omnes debemus. Adolescentes etiam ejus admoniti tùm exemplis tùm dictis, prudentius de studiis judicare discant & ipsius imitentur diligentiam & sedulitatem, quâ infirmioribus ingeniis multò magis opus est, quàm illis Heroicis naturis, quibus, ut ita dicam, multa proveniunt ἀνήροτα. Consilium etiam ipsius in studiis considerate, quod videlicet non divulsit artes naturâ copulatas, rerum doctrinam & eloquentiam, sed in utroque genere summâ animi atque ingenii contentione elaboravit, quod ut vos quoque faciatis, quantum possum, omnes adhortor. Et in hoc instituta sunt hæc scholastica exercitia, ut in utroque genere elaboremus, quod quidem eò faciendum est, ut Ecclesiæ ac Reipub. usui esse possimus. Nam nec rerum cognitio rectè comparari potest sine exercitatione dicendi, nec destituti rebus, idonei sunt ad seria negotia explicanda. Porrò, si officium nostrum diligenter fecerimus, Deus etiam ornabit nos præmiis, ut Ecclesias, ità

Scholas, quæ ſunt præcipua pars Eccleſiæ, conſervabit, etiamſi negliguntur ab iis, qui præſunt, qui quidem longè errant. Propter Eccleſias & ſcholas, ipſi, & politiæ ſervantur. Quare viciſſim nobis gratiam referre debebant: quod ſi non facient, Deus illos puniet, & tamen aliquem portum Eccleſiæ, ſcholis & noſtro ordini oſtendet, ſicut promiſit, ſe non defuturum iis, qui doctrinam Eccleſiæ utilem propagare & ornare ſtudent.

DIXI.

⁂ ⁂ ⁂

PRÆFATIO PHILIPPI MELANCHTHONIS in Rodolphi Agricolæ libros de Dialectica.

Eximiâ virtute & doctrinâ prædito,
D. Alardo Amſtelredamo,
Philip. Melanchthon
S. D.

HAbeo tibi gratiam, doctiſſime Alarde, quod occaſionem mihi offers, de Rodolpho Agricola ea mandandi literis, quæ mi-

mihi adolescenti, & quadam puerili cupiditate sæpè interroganti, duo gravissimi viri narrarunt, quibus cum Rodolpho non modò familiaritas, sed etiam quædam studiorum societas fuit, Capnio & Pallas Heidelbergensis, qui (ut ejus quædam scripta testantur) diligentius ac purius loqui solebat, & de artibus multò gravius judicabat, quàm cæteri ipsius Collegæ, qui tunc sacras literas enarrabant. Erat enim me puero recens Heidelbergæ memoria Rodolphi. Nam Dalburgius Vangionum Episcopus, apud quem vixit Rodolphus, proximô annô ante bellum Bavaricum, florenti adhuc ætate è vita decessit, usus perpetuâ quâdam felicitate, qua etiam evocatum puto, ne spectator esset illarum calamitatum, quæ postea secutæ sunt. Porrò non modò Dalburgii authoritas, sed (ut animadverti) etiam Plinii amicitia Rodolphum Heidelbergam pertraxit, quo cum Ferrariæ conjunctissimè vixerat. Sic autem vocabat Pleningerum, virum equestri natum loco & præstanti ingenio præditum. Vix enim ullæ sunt dulciores amicitiæ, quàm hæ scholasticæ, societate studiorum contractæ, quæ etiam postea allatæ ad Rempub. nonnihil momenti ad-

ferunt in multis graviſſimisque negotiis, ut Solonis & Piſiſtrati amicitiam puerilem profuiſſe tranquillitati Atticæ civitatis arbitrantur, & Eudemum cum Dione ſchola Platonis conjunxit. Sed omitto exempla. Memini autem me audire ex Pallante, fuiſſe mores Rodolphi caſtiſſimos & omnibus bonis viris probatos, adeò ut non modò propter famam doctrinæ, ſed multò magis propter vitæ & morum gravitatem & (ut ipſe referebat) ſingularem prudentiam & moderationem omnium actionum conſuetudo ejus à præſtantiſſimis viris expeteretur. Conſulebatur ab omnium artium profeſſoribus, ſi quis inciderat nodus, ad cujus explicationem opus erat aut hiſtoriarum aut Latinæ linguæ, aut Græcorum autorum cognitione. Itaque ingenioſi ab ipſo admoniti, multa in Ariſtotele dexterius ac ſimplicius tractabant: Audierat enim Ferrariæ Theodorum Gazam, qui in Ariſtotelis doctrina excelluit. Cumque Heidelbergæ conſuetudo fuerit (ut mihi videtur plena humanitatis) ut in publicis diſputationibus Profeſſores, ſi quando hærebat diſputator, interfarentur, audio, ſæpè difficiles nodos publicè à Rodolpho, de fato, de

de causis, de Entelechia & similes explicatos esse. Quare & disputationum cœtus propter ipsum erant frequentiores & ad eos confluebant non tantum scholastici, sed multò etiam studiosius grandiores natu, qui Academiæ præerant. Nec defuit ejus officium Jurisconsultis, amabat enim leges, & propter ipsarum dignitatem, & quia continere eas doctrinam, historias & bonam Philosophiæ partem affirmabat, denique mores & humanitatem utriusque civitatis, videlicet Atticæ & Romanæ, conspici magna ex parte in legibus dicebat: quare plerasque sine notitia antiquitatis intelligi posse negabat. Ostendebat & in Canonibus germanum sensum sæpè ex historiis & Ecclesiæ moribus petendum esse. Nam cùm ortum esset certamen de hoc dicto: *Frustra servant Evangelium, qui non servant canones*, & imperiti quidam disputarent, quam dura vox esset, si ad omnes ritus Ecclesiasticos transferatur; admonuit Rodolphus, Canones initio vocatos esse sententias Synodorum de dogmatibus, ut in Synodo Nicæna damnati sunt errores Samosateni, Catharorum & Arii. De ta-

 libus

libus decretis rectè & propriè dici affirmabat, frustra servari Evangelium, si illi Canones non serventur, qui veram & firmam sententiam Scripturæ explicant de illis controversiis. Hanc se interpretationem à Rodolpho accepisse Pallas sæpè prædicabat, nunquam non adjiciens honorificam commemorationem de moribus & de eruditione Rodolphi. De Theologia verò solitus est accuratiùs disputare, ut satis appareret eum tota mente totôque animo amplecti & venerari Christianam religionem & abhorrere ab impietate. Fuerat enim aliquandiu familiaris civi suo Basilio Gröningo, Theologo Parrhisiensi, quem reversum ex Gallia Basileæ Capnio etiam se audivisse dicebat: qui quidem Basilium narrabat Græcam & Hebraicam linguam mediocriter calluisse, in Theologia verò & Medicina ac reliqua Philosophia facilè omnibus illius ætatis Professoribus antecelluisse. Accensus igitur Rodolphus Basilii doctrinâ, cumque etiam in Italia Theologos audisset, & ipse Scriptores Ecclesiasticos Græcos & Latinos excuteret, & si probabat voluntatem in recentioribus, qui summas rerum vidissent

ſent in unum corpus ac methodum contrahendas eſſe : hanc enim docendi rationem neceſſariam eſſe in omni genere fatebatur, tamen judicium, modum & puritatem non obſcurè deſiderabat, oſtendebatque, qui mores, quæ opiniones recentium temporum conveniant cum veteri Eccleſia, quæ non conveniant. Nihil fingo, nam mihi ſermones quidam ipſius recitati ſunt à viro optimo, καὶ ὅτι μάλιστα ἀξιοπίστῳ. Sæpè enim adjuvabat Theologos in reddendis Græcis ſententiis Sacrorum librorum, ut in hoc dicto : *Et Deus erat verbum*, monebat, λόγον eſſe ſubjectum, ut vocant Dialectici, propter articulum, juxta Græci ſermonis conſuetudinem. Et hujuſmodi alia multa. Hæc, ut ſtudioſos juvaret, comiter inter eruditos & graves viros diſputabat, non rixabatur cum indoctis. Cùm igitur proceres aliquoties ejus doctrinam & mores Philippo Principi Palatino prædicaſſent, Princeps cupiens eum audire (magnoperè enim delectabatur eruditis ſermonibus) complecti eum familiariter cœpit. Cumque primum de Græcis, Latinis, & Eccleſiaſticis hiſtoriis multa ſciſcitatus eſſet, peti-

vit epitomen historiarum sibi componi. In hac audivi Rodolphum complexum esse ordine seriem imperiorum, initia, incrementa & inclinationes religionum & morum mutationes, collata etiam esse tempora Græcæ historiæ cum sacra. In id compendium contraxit electas materias maximè utiles, cùm ex Poëtis, tùm ex historicis Græcis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Gemisto. Aspersit & inter narrandum sententias ad movendum Principem de multis partibus Reipublicæ. Id scriptum valdè auxit Principis & procerum studia erga ipsum, cùm non modò eruditionem ipsius, sed etiam singularem prudentiam, quæ lucebat in illis narrationibus de causis mutationum, quæ in imperiis accidunt, admirarentur. Quare postea sæpè in consilium de Repub. adhibitus est. Hæc memini, non raró prædicare Capnionem & Pallantem, quæ multis de causis libenter recensui. Etsi enim eruditio Rodolphi judicari ex scriptis ipsius potest; tamen mores & vitæ consuetudinem, & testimonia magnorum virorum de ipso nosse adolescentibus prodest. Sæpè enim eruditorum exempla aliquid de studiis monent,

nent, ut quò dirigenda ſit manus, (ut ità dicam) rectius proſpiciant. Fortaſſis etiam magis admirabuntur & amabunt Rodolphum, ſi cogitabunt Gazæ & aliorum doctorum virorum conſuetudine uſum eſſe. Cùm autem ejus monumenta plurimum conducant adoleſcentiæ ſtudiis, præclarè te de ſtudiis mereri judico mi Alarde, quod ſumptu & labore tuo edi curas, cùm cætera Rodolphi ſcripta, tùm libros ejus Dialecticos integros, qui hactenus mutili circumferuntur. Porrò cùm Ariſtoteles vocet Dialecticos libros ὄργανον, ſatis admonet, hanc artem maximè neceſſariam eſſe: Lumen eſt enim omnium non modò artium, ſed & diſputationum civilium & Eccleſiaſticarum. Quare plurimum refert, adoleſcentiam in ea rectè & prudenter inſtitui. Nec verò ulla extant recentia ſcripta de locis & uſu Dialectices meliora & locupletiora Rodolphi libris. Proinde optimè te mereri de Republica judico, quod integros & emendatos edi curas, quos quidem velim omnes adoleſcentes, qui ſolidam eruditionem expetunt, aſſiduè & (ut Horatii verbis utar) nocturnâ verſare manu, verſare

diurnâ. Benè vale! Francofurti, 28. die Martii Anno 1539.

Habetur hæc Præfatio Tomo II. Præfationum & Orationum Phil. Melanchthonis, p. m. 204. seqq. edit. Argent. A. MDXLIV. 8vo.

* * *

Gerh. Jo. Vossius de Historicis Latinis lib. III. c. VI. p. m. 566. seq. edit. Lugdun. Batav. A. MDCLI. in 4to.

RODOLPHUS AGRICOLA Jacobo Bergomati in Chronicis vocatur Rodolphus à Gröningen, nempe quia in Baflon, pago juxta Gröningam, principem Frisiæ urbem, natus fuit: quod contigit circa annum CIↃ CCCCXLII. Puer Lovanii in Gymnasio Falconensi Philosophiæ operam dedit. Et cùm Theologiæ rudimenta degustârat, in Gallias abiit, indeque in Italiam; ubi Theodorum Gazam audivit. Postquam domum rediit, Syndicus factus est Reipublicæ Gröninganæ, ob cujus negotia missus in aulam Cæsaris Maximiliani, ubi cùm semestri hæsisset, voti compos Gröningam reversus est. Exinde à variis, eosque inter Antverpiensi-

ensibus ad Scholæ præfecturam deposcebatur. Sed prætulit professionem Heidelbergensem, ubi Philosophiam triennium docuit, ac Græcas literas totâ Germaniâ excitavit. Vir fuit Latinè, Græcè & Hebraicè doctissimus, Philosophus summus atque idem admodum disertus, imò & Musicæ, picturæ aliarumque artium studiosissimus. Quæ scripserit, Bergomas, Tritthemius, & alii dicent. Inter alia, in gratiam Philippi, Electoris Palatini, contexuit Epitomen historicam de quatuor monarchiis, in qua & civilia monita admiscuit. Præterea consignavit vitam Francisci Petrarchæ. Idem vitam S. Annæ carmine fuit complexus. Quod poëmation etiam Gyraldo laudatur dialogo priori de sui temporis poëtis. Transferendo Dionysio Areopagitæ intentus, obiit Heidelbergæ an. cIↃ CCCC LXXXV. atque in habitu Franciscani apud Minoritas ibidem, ut præceperat, sepultus fuit. Epitaphium ei hoc condidit Hermolaus Barbarus:

Invida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Frisii spemque decusque soli.

Sci-

Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Viglius Zuichemus, Frisius & ipse, hæc adjunxit:

RODOLPHI FRISII AGRICOLÆ MEMORIÆ POSUIT VIGLIUS ZUICHEMUS. DEPONENTI ANATHEMA. RELINQUENTI BENEDICTIO.

Luculentum etiam Agricolæ hujus elogium exstat apud Erasmum in Ciceroniano suo: item in adagione: *Quid cani cum balneo.* Sed elogium illud in editione Paulli Manutii non comparet. De eodem ita Petrus Bembus lib. VI. Epist. ad Erasmum: *Rodolphi Agricolæ scripta maximè omnium, qui ætate nostra scripserunt, mihi quidem probantur.*

Plura vid. apud Jo. Jac. Boissardum in Iconibus Virorum illustrium, doctrinâ & eruditione præstantium, ad vivum effictis, cum eorum Vitis descriptis, P. I. p.172.seqq. edit. Francof. ad Mœn. An.MDXCVII.4to. Adolphum Clarmundum in Vitis clariss.

in

in re lit. Virorum, P. VI. num. XXIV. p. 224. seqq. Georg. Hornium in Hist. Phil. lib. VI. c. VI. p. 306. &c.

SCRIPTA

Duobus distincta Tomis, edita sunt Coloniæ Ann. 1539. fol.

Tomo I. continentur sequentia:

De Inventione Dialectica libri omnes, recogniti & annotationibus illustrati.

De Universalibus quæstiones aliquot singulares.

Propædevmatum dialecticæ inventionis opusculum, circumstantias sive attributa personarum & rerum ad Rodolphi Locos redacta, simul & exemplis aliquot explicata, compendio pertractans.

Scholia in Orationem pro lege Manilia.

Tomo II. hæc habentur:

Aphthonii Sophistæ Progymnasmata, ab Agricola conversa.

Prisciani Cæsariensis Præexercitamenta.

Commentariola in aliquot L. Annæi Senecæ Declamationes.

Orationes. (1) de nativitate, sive immensa natalis Christi lætitia in laudem Matthiæ Richili. (2) Oratio dicta in stu-

studiorum ad hyemem innovatione. (3) Oratio gratulatoria, dicta Innocentio VIII.

Epistolæ. De quibus Morhofius Polyhist. lit. lib. I. c. XXIII. §. XXXIX. p. m. 304. edit. noviss. *Rodolphus Agricola vir doctissimus paucas scripsit Epistolas, quæ operi ejus inseruntur, non illas quidem indoctas, sed Ludovici Vivis judicio in multis emendandas. Nam si ipse sua emendasset, maximis quoque Veterum potuisset comparari.*

Parænesis Isocratis ad Demonicum, ejusdemque de regno.

Luciani libellus de non credendis delationibus, ejusdem Mycillus sive Gallus, Axiochus Platoni inscriptus de contemnenda morte.

Carmina & Epitaphia. &c.

Sunt ejus præterea:

Vita Francisci Petrarchæ.

Psalmi Davidis ex Ebræo conversi.

Scholia in lib. V. Sev. Boëthii de Consolatione Philosophiæ, unà cum Jo. Murmelii Scholiis in eundem lib. edita Colon. 1535. *Vid. Clarmundus l. c. p. 227. seqq.*

DE

DE
VITA, STUDIIS, ITINERIBUS, SCRIPTIS ET LABORIBUS
V. CL.
HERMANNI BUSCHII,
NOBILIS WESTPHALI,
Bonarum Literarum in innumeris propemodum Academiis Scholisque illustribus Professoris,
Poëtæ, Oratoris & Philosophi incomparabilis,
NARRATIO (*)
HERMANNI HAMELMANNI,
S. S. Theol. Lic. Pastoris, ac Superintendentis Oldenburgensis.

* Habetur hæc Narratio in Variis de Westphalia Opusculis, à V. C. Joanne Goes, Westphalo, Helmæstadii Anno MDCLXVIII. in 4to editis, num. III. p. 28. seqq.

Etsi

ETsi diversæ olim fuerunt Buschiorum in Westphalia & vicinis locis familiæ & stemmata atque separata eorum quoque fuerint insignia, tamen jam de Hermanni Buschii poëtæ & oratoris celeberrimi, qui ex veteri Buschiorum (quorum insigne erat Lilium album) familia nobili natus est, vita agemus, primum de cursu studiorum ejus dicturi. Pater hujus nostri Hermanni Buschii (qui inter majores suos septem habuit equites auratos, ex quibus Herbordus & Clamor Buschii præcipuè celebrantur, & de posteriori sic canit Alexander Hegius:

Buschia clara domus fuit olim Clamoris armis;
Nunc Hermanne tua est inclyta facta cheli. &c.

fuit Borchardus Busche, qui in comitatu Schovvenbergensi & finitimis locis habuit quidem bona hæreditaria, sed circa annum Domini 1460. tenuit oppignoratam arcem & præfecturam ditionis Monasteriensis Sassenborch (quam antea Dux & postea Cæsar Lotharius ædificaverat & contulerat suo affini Comiti de Lippia, sed cum exueretur Ducatibus Angariæ & Westphaliæ Henricus

ricus Leo à Colonienſi Præſule, hanc ad ſe vi pertraxit Monaſterienſis præſes) & habuit conjugem Barbaram de Schedelich. Ex his conjugibus, veteris Nobilitatis perſonis, nati ſunt hi filii in arce prædicta, Henricus (qui Rhodum profectus & in terra ſancta verſatus tandem ibi moritur) Hermannus hic noſter, Sergius, & Johannes (qui duo militiam ſecuti etiam ut milites occubuêre) atque Bochardus Jureconſultus, qui erat Mindæ Cathedralis eccleſiæ Decanus, ad quem noſter aliquando Buſchius ſic ſcripſit in epigrammatis editis.

Quod vigili ſtudeas obſcura volumina cura
Frater, & à magnis edita jura viris

Laudo &c. & fuit Borchardus frater Hermanni adeo literarum & linguarum ſtudioſus, ut in Græca lingua domi privatim aluerit præceptorem anno Domini 1525. Henricum Sibæum Olphenium. Burchardus moritur anno Domini 1542. Sed revertimur ad noſtrum Hermannum Buſchium, qui circa annum Domini 1468. naſcitur, & mox puer traditus in oppido

Warendorpio est disciplinæ, deinde commisit eum suo amico Rodolpho Langio tunc claro poëtæ, philosopho & canonico majoris Ecclesiæ Monasteriensis, Pater, qui eum in scholam Alexandri Hegii ablegavit, & singulariter Hegio commendavit. Habuit tunc in Hegii Monasteriensis Schola Daventriæ condiscipulos Erasmum Roterodamum, Joannem Murmellium, Joannem Cæsarium Juliacensem, professorem Coloniæ, Ludolphum Heringum in urbe Hammone ludimagistrum, Hermannum Torrentinum Rectorem Svvollis, Jacobum Montanum Spirensem profitentem bonas literas Hervordiæ, Joannem & Servatium Ædicollios fratres, & Bartolomæum Coloniensem, postea cum Hegio & post eum profitentes utramque linguam Daventriæ, Timannum Camenerum scholæ Monasteriensis clariss. gubernatorem, Josephum Horlenium Rectorem Scholæ Hervordiensis, præceptorem Petri Mosellani, Doctorem Theologum Gerhardum Heckerum, Petrum Nehemium Drolshagium Tremoniæ Rectorem, Petrum Gymnichium Aquensem Canonicum collegii Monasteriensis ad S. Martinum,

num, Joannem Ælium feniorem trium Monafterienfium Epifcoporum Cancellarium, item ex fuis popularibus, Ortvvinum Gratium, Bernhardum Mommium Decanum ad S. Ludgerum, Ludolphum Bavineum, Joannem Oifthufium, Bernhardum Averduneum Jureconfultum, Joannem Moderfonium Canonicum Ludgerianum, Henricum Morlagium Canonicum Martinianum, Joannem Iferlonium vicarium, Joannem Dobbium Scholafticum majoris ecclefiæ, Degenerum Witten, paftorem Jacobi, Bernhardum Tegederum Scholafticum Mauritii, Joannem Gravium, Vegium Critium, Bernhardum Gueringium notarium, Joannem Hagemannum Bibliothecarium Romæ, Joannem Rötgerum vicarium, Joannem Volfium patrem in conventu virginum Coloniæ & Joannem Gymnicum typographum Colonienfem &c. Qui omnes in Schola famigeratiffima Alexandri Hegii inftructi funt, & in viros doctrinâ celebres evaferunt, & plerique eorum aut fcriptis claruerunt, aut à Murmellio, Bufchio, Langio, aut Camenero aliisque celebrati & commendati funt.

Poſtea in Hegii ſchola inſtituti ſunt Antonius Tunicius, Ottho Beckmannus, Joannes Alexander Meppenſis, Conradus Goclenius, Hermannus Tulichius, Alardus Amſtelrodamus, Nicolaus Lesdorpius Rector Gröningenſis, Gerhardus Liſtrius Rhenenſis, Joannes Peringius Buricenſis & alii clariſſimi & ex ſcriptis per Germaniam noti olim viri.

Hegius enim de conſilio Rodolphi Langii primi Germaniæ poëtæ (qui elegantes verſus ſcripſit etiam nondum nato Conrado Celte, unde apparet eos graviter errare, qui primum Germaniæ poëtam conſtituunt Celten) & Rodolphi Agricolæ, tunc reformare ſtudia humanitatis Daventriæ cœpit, & per multos annos in maxima diſcipulorum frequentia, magna cum laude ibi ſcholam rexit, & eodem tempore in urbibus Hollandiæ Campenſi, Alcmaria, & Amſtelrodamo, in ſcholis, literarum ſtudia quoque tentavit reformare, & ad ipſos fontes Latinæ linguæ ſuos auditores deducere vir doctus Antonius Liber Suſatenſis, & hic non minus quàm Hegius erat à Rodolpho Agricola, ad hoc inſtigatus & animatus. Nam Rodol-

dolphus Agricola primus in Germania emendare genus sermonis aggressus est & accendit Latinæ ac Græcæ linguæ studia ac exercitia, sicut tunc temporis cepit quoque cum Rodolpho Agricola ex Italia reducere veterem illam eleganter scribendi versus normam Rodolphus Langius vir nobilis & canonicus cathedralis Monasteriensis : atque uterque inflammarunt Hegium & Liberum Susatensem, ut illi animose pergerent ; quemadmodum hoc quoque ductu Rodolphi Agricolæ fecit in superiori Germania Ludovvicus Dringebergius Westphalus, præceptor Jacobi Wimphelingii, Conradi Celtis, Joannis Capnionis Reuchlini, Beati Rhenani, Joannis Sapidi, Stabii, Dalburgii, Bebelii, Bilibaldi Pircheimeri & aliorum.

Buschius noster in Schola Hegii multum profecit brevi tempore, quem Langius & Hegius commendatitiis scriptis miserunt postea ad Rodolphum Agricolam Phrisium (qui aliquando de eo adhuc versante in Schola Hegii dixerat, *tu habes poëticum caput, & celebris fies poëta;* Sicut etiam de Erasmo vaticinium produxerat, *tu eris magnus*, & de Murmellio,

magna in te ingenii vis est) quem audivit, & habuit tunc Heidelbergæ omnes illos, quos recitavimus Ludovici Dringenbergii discipulos, condiscipulos, ubi etiam ei Pallas notus erat.

Deinde proficiscens Tubingam, ibidem in Academia contraxit familiaritatem cum Georgio Simlero, Jacobo Henrichmanno & Joanne Altensteig Grammaticis. Suasu verò Rodolphi Agricolæ cœpit legere & relegere scripta Ciceronis.

Et cùm jam animam egisset Agricola, 1486. de consilio sui præceptoris & patroni Rodolphi Langii profectus est in Italiam, & ibi per aliquot annos vixit & familiaritatem contraxit cum summis ibi viris, Joanne Francisco Pico Mirandulano, Concordiæ Comite, Platina, Baptista Mantuano, Zenobio Acciaolo, Marco Antonio Sabellico, Aldo Manutio, Philippo Beroaldo, Hermolao Barbaro, Angelo Politiano, Hieronymo Donato, Marsilio Ficino, Leonardo Aretino & Joanne Baptista Egnatio, Petro Crinito, & cum multis aliis Italiæ claris viris, qui ejus ingenium & doctrinam ac dicendi promtitudinem admirati sunt. Ex Italia rediit in Germaniam & sum-

ſumpſit gradum Magiſterii Heidelbergæ, & veniens Coloniam cœpit cum barbaris Theologis Jacobo Hoichſtrato & Arnoldo de Tungris rixari, ſed cum illi prævalerent, diſcedit Coloniâ, & per totam Germaniam inſtituit profectionem.

Antequam ex Italia rediret, dum adhuc Romæ ageret, ſcripſit duos libros Epigrammatum vel Carminum ad Alexandrum Hegium præceptorem ſuum.

Jam verò reverſus in Patriam, operâ Rodolphi Langii & Joannis Ælii Senioris, Cancellarii, datus eſt ei locus in aula Epiſcopi Monaſterienſis, Henrici Comitis à Schvvartzburg, in cujus honorem ſcripſit tunc Epitaphium fratri Epiſcopi Günthero Comiti in Schvvartzburg, qui in oppugnatione arcis & propugnaculi Delmenhorſtani ictus occubuerat.

Sed Buſchius non diu hæſit in aula, verùm Monaſterio profectus eſt in Galliam, ubi contraxit familiaritatem cùm Bovillo, Fortunato, Jacobo Fabro Stapulenſi, Fauſto Andrelino poëta, Guilielmo Budæo, aliis. Inde reverſus in Germaniam cum iſtis quos recenſui diſcipulis Ludovici Dringenbergii & Rodolphi Agricolæ, diverſis

in locis superioris Germaniæ amicitiam inivit & studia purioris linguæ promovit, inprimis colebat & venerabatur Rodolphum Langium, qui ei omnis generis librorum exemplaria suppeditavit & instruxit multis modis. Deinde per superiorem & inferiorem Saxoniam, Misniam, Marchiam &Pomeraniam profectionem instituit.

Sed ante profectionem legerat in ædibus Langii omnia Grammaticorum commentaria, & Langii ductu omne genus carminum didicit, ideò & comœdias atque tragœdias tum Latinas tum Græcas, & in eis metra & pedes consideravit: & deinde quicquid Plautus, Terentius, Ennius, Seneca, Statius, Virgilius, Horatius, Lucanus, Persius, Juvenalis, Martialis, Ovidius, Catullus, Tibullus, Propertius, Ausonius, Prudentius, Claudianus, Severinus Boëtius, Prosper, Sedulius, Paulinus & alii veteres Poëtæ scripserunt &habuerunt, legit & examinavit, & multa ex illis proferre potuit, imò quô folio hæc & illa haberentur ad unguem tenebat.

In historiis versatissimus erat,nam in Biblio-

bliotheca Langii, qui ex Italia tunc ſelectiſſimos quosque libros habebat tranſlatos, evolvit Cæſaris, Saluſtii, Livii, Juſtini, Oroſii, Taciti, Valeriique Maximi hiſtorica ſcripta: Græcæ linguæ maximam cognitionem habuit, ideo apud Langium percurrit Homeri, Heſiodi, Thucydidis, Herodoti, Herodiani, Euripidis, Ariſtotelis, Platonis & aliorum philoſophorum opera: Ciceronis, Plinii, Auli Gellii, Quintiliani & aliorum ſcripta puriſſima, faciebat ſibi familiariſſima. Quicquid habebant veteres & recentes Grammatici, Priſcianus, Varro, Diomedes, Caper, Phocas, Tortellius, Servius, Nonius Marcellus, Feſtus Pompejus, Donatus, Macrobius, Pomponius Lætus, Nicolaus Perottus, Petrus Marſus, Ambroſius Calepinus, Antonius Nebriſſenſis, Sulpitius Verulanus, Antonius Mancinellus, Aldus Manutius, Joannes Deſpauterius & ſimiles, hoc totum quaſi devoraverat Buſchius noſter, & erat in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus. Ideò quocunq; ſe recipiebat, eſt ita ut lumen & rei literariæ fulcrum ſuſceptus, cum admiratione ab omnibus auditus, & amanter à ſtudioſis ubique locorum exceptus.

Magna enim fuit in eo vis dicendi, magna Latinæ linguæ cognitio, elegantia pronunciandi & eximia promptitudo, ut animi cogitata eleganter & ſonorè proferret: tanta erant memoriæ dona in eo, ut ex poëtarum, philoſophorum, hiſtoricorum, oratorum & grammaticorum ſcriptis integros libros, multas paginas, & folia recitare potuerit. Ea fuit in eo felicitas ingenii, ut omnia intelligeret & perciperet, & de omnibus diſputaret & conferret: A profeſſionibus tribus non erat quoque alienus: attingere interdum ſolebat ſcripta Jurisperitorum, & Medicorum: in Theologia poſt Biblia legit Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Hilarii & ſimilium ſcripta diligenter.

Reſtat autem nunc, ut excellentium Germaniæ virorum, qui ante annos 60. floruerunt, teſtimonia de Buſchio perſpicua, ex quibus apertum fiet, quo in pretio habitus ſit Buſchius noſter, proferamus.

Joachimus Camerarius ſcripſit publicè, ſuum præceptorem M. Georgium Heltum (qui erat quoque Magiſter principis Anhaltini Georgii) recitare ſolitum fuiſſe

de

de Hermanno Buſchio hiſtoriam, quem Heltus audierat anno Domini 1507. Lipſiæ epiſtolas Ciceronis, commentaria Cæſaris, Virgilii & Ovidii poëmata tantâ dexteritate enarrantem, ut omnes auditores in tantâ tamen barbarie cognoſcerent & admirarentur Hermannum Buſchium tam promtam Latinè ſcribendi & dicendi elegantiam, de quacunque re & in quovis negotio & coram quovis verba faciendi habuiſſe, ut nullus tunc alibi videretur eſſe, qui ei conferri poſſet, & dum quæreret, quomodo eam ſibi comparaſſet? Reſpondit, legendis & relegendis Ciceronis, de conſilio Rodolphi Agricolæ, epiſtolis & ſcriptis ſibi eam paratam eſſe. Deinde ſcribebat ex tempore carmen elegantiſſimum & eruditæ vetuſtati mirandum, ut ſi vel Virgilius vel Ovidius rediiſſent, admirati eam in Buſchio dexteritatem fuiſſent, ideò quoque à Georgio Spalatino tunc Lipſiæ ejus auditore interrogatus, quomodo illam extemporalem in ſcribendis verſibus ad veterum imitationem accedentem quàm proximè felicitatem comparaſſet, hoc reſponſi dederat, ſe quidem Langii, Hegii & Rodolphi Agri-

gricolæ monitis & exemplis præmissis incepisse, sed postea lectione, observatione & imitatione veterum poëtarum ita profecisse.

Rodolphus Langius (qui ex Josepho & Ægesippo obsidionem & expugnationem Hierolymitanam carmine Heroico, sicut etiam urbis Novesii cinctæ â Carolo Burgundico obsidionem conscripsit) circa annum Domini 1496. in epigrammata Hermanni Buschii, sic præfatus est.

Rodolphus Langius in Hermanni Buschii, equestris ordinis, docti praclarique adolescentis, suavissimi conterranei sui carmina, hoc dedit Epigramma, &c. In illo epigrammate inter alia & hæc extant carmina:

Hinc tua dulcifluo manans elegia lepore
A Sulmonensi nec procul ipsa chely est.
Macte novâ juvenis venâ, senioque verendus
Quanta canes Phœbi tangere doctus ebur.

Alexander Hegius ad Rodolphum Langium & Hermannum Buschium equestris ordinis

nis viros, epigramma Anno 1494. ſcripſit, ubi inter alia ſic legitur:

Nil eſt quod fieri nequeat, jam ferre Poëtas
Barbaria in media Weſtphalis ora poteſt.
Langius hanc decorat majorum ſanguine clarus
Cum caneret laudes maxime Paule tuas.
Buſchius hanc modulis & ſtemmate clarus honeſtat
Cum te virgo parens numine fœta canit.
Vatum terra altrix tantorum Weſtphala gaude.
Lumine te dextro docta Thalia videt &c.

Et ſanè Langio & Hegio multum detulit, & quicquid eruditionis & boni habebat Buſchius, hoc præcipuè iſtis duobus acceptum tulit, ideò in Euchariſtico carmine, quo gratias agit Langio, ſic ſcribit in titulo:

Ad Rodolphum Langium, Canonicum Monaſterienſem, Theologum, Philoſophum, Ora-

Oratorem & Poëtam undecunque ornatissimum, &c. ubi inter alia sic canit:

Si cui nostra pias debet lyra carmine grates
Si teneor studii cui dare dona mei,
Tu facis ignavos abeat ne segnis in annos
Vita &c.

item mox:

Te duce Musa favet, datur & mihi copia multi
Codicis &c.

Idem libro Epigrammatum scripsit adhuc adolescens ex urbe Roma longam elegiam, in præconium doctissimi Rodolphi Langii Canonici Monasteriensis, de suo somnio, quod putârit se versatum esse in Bibliotheca Langii & ibi Latinos Græcosque oratores, philosophos & poëtas quasi viderit & perlustraverit: & in libro 2. Epigrammatum aliquoties ejus Bibliothecam, Lectionem multijugam, eruditionem præcipuam, atq; in versibus faciendis singularem venam & gratiam commendat & describit.

Alexandro Hegio inscripsit sua epigrammata juvenis admodum, & in dedicatoria epistola sic ait: Tuo nomini dedicavi hanc editionem, arbitratus, etiamsi eâ

eâ ſuavitate, eo ornatu, eâ denique ubertate, ut poëmata debent, carmina noſtra non fluerent, tu ea facillimè pro tua in me benevolentia, quæ mihi â teneris annis, cum ludum tuum ingrederer, tuoque auſpicio prima artis grammaticæ rudimenta imbiberem, perſpectiſſima fuit, ab omni livoris morſu atque invidia vindicares.

Joan. Murmellius in libris Moralium Elegiarum libro 3. cap. vel elegia 1. ſic canit de Buſchio noſtro:

Buſchius Aonio ſatiatur pectore fonte
Verſibus eſt patriæ gloria magna ſuæ.

Et quantum idem Joannes Murmellius detulerit noſtro Buſchio, patet ex ejusdem commentariis quæ in Perſium ſcripſit, & libro ſecundo didaſcalicorum citat ipſe Buſchii epigramma, & vocat Buſchium *totius Germaniæ decus*.

Eobanus Heſſus Franckebergius ao. Dom, 1506. ſic juvenis de Buſchio cecinit in epigram. edito:

Gloria Germanos inter præclara poëtas,
Et merito patriæ fama decusque tuæ.

Euricius Cordus (cujus multa exſtant Epigrammata ad Buſchium) Medicus & poë-

poëta libro 9. Epigrammatum sic scribit de Hermanno Buschio:

Maximus es, certum est, quem fert Germania, vates,
Quem colit Aonius concelebratque chorus.

Erasmus Roterodamus, (cujus multæ exstant ad Buschium Epistolæ) in Ciceroniano sic de Buschio scribit: *Dedit & Westphalia Hermannum Buschium in carmine pangendo felicem, cui in oratione soluta, magna vis ingenii, lectio varia, judicium acre, nervorum satis, sed compositio Quintiliano propior quàm Ciceroni.*

Exstant in epistolis Joannis Reuchlini & Joannis Trithemii Abbatis, multæ epistolæ ad Buschium datæ, ex quibus testatum fit, quod eum ut doctissimum & absolutæ lectionis ac eruditionis virum celebraverint & coluerint.

Theodorus Vlsenius, Doctor medicus, quem & Joannes Trithemius & Bartholomæus Coloniensis, maximæ eruditionis virum, multæ scientiæ & raræ peritiæ hominem appellant, sic in quodam epigrammate suo de Buschio ante annos 79. cecinit:

Buschius

Buschius interpres vatum, vatesque disertus,
Buschius est priscis nobilis ex atavis.
Buschius antiquis non cedit jure poëtis,
Buschius agnovit carminis omne genus.

Item post pauca:
Buschius est Phœnix unica Teutonibus.

HermannusComes à Nevvenar est præpositus summi templi Coloniensis singularis historicus ante annos 70. in publica quadam epistola Buschium *doctissimum & dexterrimi ingenii virum* appellat.

JoannesAsticampianus poëta celebris suo tempore, in carminibus an. Dom. 1502. editis sic de Buschio scribit:

Inter Germanos fœlix Germane poëtas:
Concinnas nitidis carmina culta modis.

Joannes Gümnicus typographus Coloniæ doctissimus, in decimationum Plautinarum Pemptades Hermanni Buschii præfatus, appellat Buschium undecunque doctissimum. Exstant Joannis Peringii, Josephi Horlenii, Antonii Tunicitii, Petri Nehemii, Timanni Cameneri, Petri A-

quensis & multorum de Buschii laudibus epigrammata.

Joh. Gastius vertens commentaria Germanicè scripta in Ecclesiastem Salomonis per Ioannem Brentium, in Latinam linguam, sic in dedicatoria Epistola ad Philippum Landgravium Hassiæ ao. Dom. 1527. scribit de Buschio: *Habet ecce Cels. T. Hermannum Buschium, qui vir, ob raram atque omnijugam suam eruditionem & pietatem, tunc etiam ætatis venerabile donum, non tam terræ tuæ quam etiam totius Germaniæ singulare aliquod decus, imò alter quispiam ævi nostri Aristarchus jure optimo haberi potest &c.*

Philippus Melanchthon in scripto contra Colonienses Theologos gloriatur, quod inter alios professores Coloniensis Academiæ, Buschium familiariter noverit: & in oratione, quam scripsit de vita Doctoris Joannis Bugenhagii Pomerani, quam recitavit Petrus Vincentius Vratislaviensis sic scribit: *Cum Grammaticam & Musicam didicisset Bugenhagius, in Academiam Gryphswaldensem missus est, ibi & tyrocinium linguæ Latinæ melius habuit &c.* Et mox: *Erat natura non solum capax docti-*

ctrinæ sed etiam avida, & accendebant aviditatem tempora, quia Hegii Daventriensis & Rodolphi Agricolæ & Hermanni Buschii scriptis taxata erant solœca priorum temporum, & revocabatur juventus ad diligentiam rectius loquendi &c.

Hactenus audivimus elogia à viris doctis de Buschio nostro pronunciata. Jam venimus ad ejus peregrinationes.

Ex Italia reversus auspicio Hermanni Comitis de Nova aquila tunc Scholastici & postea præpositi Metropolitani, Herois doctissimi, Coloniæ cœpit puriores literas proponere : sed ut Bartholomæus Coloniensis & Joannes Æsticampianus Poëta, ob taxatas barbarorum Theologorum Sordes verborum in pronunciatione & prælectionibus sunt operà Jacobi Hochstrati, Arnoldi Tungerensis & Orthvvini Gratii ex universitate ejecti, postquam Donatum Buschii commentariis illustratum, ubi in præfatione reprehenderat barbariem Theologorum Coloniensium, profitendo explicuerant : cessit quidem ultrò furori sordidorum Magistrorum nostrorum Buschius, interim mox post discessum Buschii veniunt Coloniam Georgius Sibutus

Professor Rhetorices, Joannes Cæsarius Philosophiæ, & Jacobus Greselius Dialectices assertores puriores, & nova de exstirpanda barbarie auspicia in Academia jecerunt; quamvis adhuc parum proficerent.

Sic Coloniâ discedens venit Hammonem, (quæ est urbs Westphaliæ celebris in amplissimo Comitatu de Marca) ubi in frequenti Schola Ludolphi Heringii viri doctiss. plurimùm â Murmellio commendati & sui quondam condiscipuli, legit unam vel alteram epistolam Horatii non sine admiratione omnium eum audientium.

Mox in Patriæ suæ urbem primariam & metropolin Westphaliæ veniens, gratus erat hospes Langio, Murmellio, Camenero, Petro Aquensi, Peringio, Horlenio, Bavincko, Tunicio, Tegedero, Morlagio, Modersonio, Mommio, Iserlonio, Dobbio, Gravio & quotquot tunc erant docti magnâ copiâ, reparationem linguæ Latinæ exspectantes ibi, & simul meditantes: ubi loco Murmellii publicè explicat semel atque iterum Vergiliana aliquot poëmata, & non puduit omnes viros illos

illos clarissimos, prælegentem, in multitudine Scholasticorum magna Buschium audire.

Inde descendit Osnabrugam, ubi inter Cathedrales Canonicos habuit cognatos, cum quibus vixit familiariter & in Schola M. Joannis Fustii, audiente eum Joanne Grüthero tunc Conrectore & aliis, legit Satyram unam Persii.

Idem fecit quoque Bremæ & Hamburgi, ubi unam Orationem ex Livio jussu D. Alberti Cranzii proposuit, & multi eum ex collegio & ordine civium audiêrunt cum voluptate.

Lubecæ hymnum ex Prudentio explicuit, & Wismariæ unam Eclogam Bucolicorum Vergilii interpretabatur. Tandem Rostochium venit, ubi inter primarios professores volebat videri Tilemannus Heverlingius. Buschius verò privatim aliquid ex Cicerone, tum ex Virgilio & Ovidio magnâ dexteritate proposuit, ubi venustatem carminis ac sermonis phrases & elegantiam indicavit. Tunc statim juventus cumulatim ad auditorium Buschii properavit & avidè ejus lectiones audiendo percepit. Cum verò ex Ascensii Badii

 ine-

ineptis commentariis, Germanicis verbis insulsè in Schola paulò ante Juvenalem explicuisset Heverlingius, rogârunt aliquot ex studiosis candidati Buschium, ut etiam Juvenalis Satyras eis interpretaretur. Illis gratificaturus præter prædictas lectiones etiam assumit Juvenalis & Persii versus enodandos: Ibi cum studiosi viderent longè fœliciori venâ & longè majori dexteritate istos Poëtas explicare Buschium, & poëseos ac prosodiæ phrases atque elegantias dictionis non minus quam morales sententias indicare, quàm Heverlingium, contempserunt Heverlingium, qui hoc pacto omni excidit gratiâ & autoritate, quoniam ipsius oratio erat sterilis & explicatio jejuna & inepta: Buschii verò oratio mirâ suavitate fluebat; ideo omnes studiosi ad unum confluebant Buschium deserto Tilemanno Heverlingio, eoque contemto. Hinc fit, ut miro in Buschium odio inflammetur Heverlingius & tandem hoc apud sui similes idiotas & collegas effecit, ut Buschio primùm publicæ in Academia inhiberentur lectiones, & tandem semestri elapso, ut ei discedendum ex urbe esset.

Hinc

Hinc fit ut Oestrum poëticum Hermannus Buschius contra Tilemannum Heverlingium scriberet & in lucem ederet, ubi inter alia & hi versus exstant:

A multis nostras tunc incunctanter ad aedes
Itur, & ad limen grex studiosus adest.
Quicquid Heverlingus legit auditoribus, illud
Vulgari linguâ Teutonicaque docet,
Ergo ad Heverlingum pergat, meliore relicto,
Discere qui Sordes barbariemque velit.

Ex Rostochio comitantibus aliquot Scholasticis venit in novam Academiam Pomeraniae Gryphisvvaldianam, ubi literae Autore Petro Ravennate Italo incipiebant purius florere, ideo ibi ex Prisciano Grammatico aliquid publicè praelegit, & Librum I. Lucani & commentaria Caesaris, & habuit ibidem mediocrem auditorum frequentiam, inter quos etiam erat Joannes Bugenhagius, Petrus, Joannes & Bartholomaeus Suavenii fratres; & cum ille adveniret, communi autoritate inde Alexander Grammaticus, Gemma Gemma-

rum & Vocabularius ex quo, item Hollokot sunt exclusi, ideo quoque versilogum Mancinelli cœpit ibi prælegere.

Et cum ibi ferè per annum hæsisset, circa initium anni Domini 1505. discessit ex ea Academia & venit Francofurtum ad Oderam Marchiæ, ubi Joannes Marchio Elector cogitarat erigere novam Academiam, quod tamen mox in effectum produxit filius Elector Joachimus primus, qui sequenti anno Academiam introduxit: ubi quidem omnes cupiebant eum retinere certo stipendio, sed cum ibi reperiret acrem linguæ Latinæ reparatorem Jacobum Wimphelingum ad hoc singulariter conductum, qui etiam postea in ea nova Academia an. D. 1516. gradum Licentiæ in Theologia sumsit, noluit ibi diu hærere, sed tamen specimen edidit sui doni, legens Claudianum de raptu Proserpinæ, & Quintilianum in primis duobus libris. Pauco enim tempore, cum esset laboriosus & quotidie quatuor prælectionibus horas impenderet, multa potuit absolvere.

Inde discedit non sine mœrore præcipuorum Studiosorum, & rectà se recipit Erphur-

Erphurdiam, quò erat vocatus aliquoties literis Euritii Cordi, Theodori Vlſenii & Sturciadæ medicorum, & Jacobi Montani Spirenſis, & Eobani Heſſi, ibi cum iſtis diu converſatus eſt, & prælegit Vergilii librum 6. Statii & Lucani aliquot libros, cum Nonnii & Antonii Illuminati Grammaticorum ſcriptis, & omnes iſti cum multis ſtudioſis audiverunt Buſchium in ſcholis ſolerter docentem, & illo præſente, vel etiam præſidente, omnes inepti & barbari ſcriptores, ut Alani & ſimilium barbarorum inſulſi libri, ſunt publicè abdicati.

Ad finem anni à nato Chriſto 1506. ex Erphurdia Lipſiam proficiſcitur, & ibi multos auditores, qui poſtea in magnos evaſerunt viros, habuit, Georgium Heltum, Georgium Spalatinum, Andream Crappium & ex popularibus Joannem Rivium & Hermannum Tulichium Weſtphalos, ibi Spicilegium ſententiarum ex 35. Philoſophis collegit & eas cum Officiis Ciceronis contulit in prælectionibus, deinde cum ad auditorium publicum eſſet admiſſus legit quoque Epiſtolas Ciceronis, Tibulli & Propertii Carmina, & Al-

di Manutii Grammatica commentaria tunc primùm evulgata : ibi diſerta, acuta & ſuavis prælectio Hermanni Buſchii omnibus & ſingulis fuit gratiſſima. Hinc factum eſt, ut multi diverſis editis Carminibus & ſcriptis Buſchium celebraverint. Ideo Joannes Sturnus, qui eum cum ſuo condiſcipulo Joanne Widenavero Egrano, & Caſparo Schlickio (qui ibi poſt Buſchium Philoſophiæ & artium Profeſſores facti ſunt) audivit prælegentem, ſic ſcribit ad eum publico carmine:

Barbara quæ quondam fuerant Lipſienſia Tempe
Nec niſi barbaricam docta ſonare Chelin,
Jam nunc Aoniis certant Hermanne Camœnis
Et rodolent Latiam te duce Calliopen.

Eodem tempore auditor erat Buſchii M. Chriſtianus Bojarius (qui poſtea factus eſt Frederici Electoris Saxoniæ Cancellarius) qui ſic de illo in publico ſcribit carmine, eodem tempore:

Buſchio inexhauſtas Juvenes jam pangite laudes
Et viridi è lauro prœmia digna date,

Qui

Qui vos excoluit Latiâ Græcaque Minervâ
Vexit & huc Musas ex Helicone sacras.

Nam rogatu suorum auditorum etiam Lascharis Grammaticam Græcam cum Phocylidis sententiis Græcis proposuit; ideo idem Bajoarius sic pergit de Buschio scribere in publico epigrammate:

Barbara quæ fuerant, hæc fecit regna Latina.
Castalidos Lipsis hoc duce potat aquas.
Ergo canendus erit meritoque colendus honore
Quo duce barbaries pestis acerba ruit.

Ideo Lipsiensis Academia debet inprimis huic Buschio acceptum referre, quod sit à barbarie fœda liberata.

Circa annum 1510. vocatur in novam Academiam Witebergensem per Vincentium Thamasium Ravennatem I. U. Doctorem & ibidem professorem: Etsi verò ibi esset poëta Italus Sbrulius, & similiter Otto Beckmannus Westphalus poëtica tractaret, & eò se ex Lipsia conferrent cum Buschio Tulichius & Crappius, tamen cum Sbrulio certavit Buschius: quia ut ibi

ibi Sbrulius Baptistæ Mantuani poëmata proponebat, ita hic Vergilii, Lucani, Propertii, Tibulli & Ausonii carmina & Senecæ Tragœdias explicuit, & cum mirificè oblectaret auditores, & auditorium esset illi frequentius, quam Sbrulio, est coorta inter ipsos dissensio: Ideo Buschius regreditur Lipsiam, ubi interim priores barbari Lectores conspiraverant contra eum, ideo effecerunt operâ Hieronymi Emeseri, apud Ducem Georgium, ut An. D. 1511. cum Longicampiano mathematico ejiceretur.

Sic regreditur in Saxoniam subsistens Magdeburgi, & voluit quidem ibi legere, sed impeditur à barbaris, digressus Brunsvvigam, ubi admittitur ut Prudentii aliquot hymnos explicaret, & toti Clero erat gratus.

Brunsvvigâ discedens venit Hildesium ubi Canonicos aliquos habuit cognatos, cum quibus per mensem vixit, & ibidem specimen eruditionis edens prælegit epistolam Hieronymi ad Nepotianum.

Ex ea urbe confert se in Schovvenbergicum Comitatum in quo habebat bona hæreditaria, ex quibus cum annuos

pro-

proventus consecutus esset, ut ad longa itinera perficienda paratior esset, abit Mindam ad fratrem Borchardum tunc electum Decanum in majori Collegio, ubi reperit Bartholomæum Coloniensem (qui & Coloniæ & Daventriæ Schvvollisque antea, ut erat vir suo tempore doctissimus, barbariem profligaverat & acriter contra barbaros certaverat) ibidem in schola gubernatorem scholasticæ juventutis agentem, & omnes ad meliorem frugem rei literariæ ducentem, de quo ante annos decem sic noster Buschius in publico carmine cecinerat:

Barbaries ægrum virosis faucibus orbem
Polluerat linguis sibila dira vomens.
Pejor Lernæjis nunquam fuit hydra cavernis
Fecerat hæc doctis publica damna scholis,
Accinctus clavâ sed tu Tyrinthius alter
Sternis Cerberiam Bartholomæe feram.
Hinc te Romanâ jactat facundia linguâ
Murmurat & laudes Castalis unda tuos.

Mindæ moritur Bartholomæus Coloniensis pau-

pauper & cùm ibi paululum respirasset Buschius, & Somnium Scipionis ex Macrobio in schola, petente fratre, prælegisset, & unam vel alteram epistolam ex Ovidio: confert se quoque Osnabrugam, ubi tunc reformavit linguam Latinam, sicut anteà Svvollis fecerat post Hermannum Torrentinum, M. Joannes Alexander Meppensis, qui ut audierat Murmellium & Coloniæ Cæsarium, ita mirâ quoque eloquentiâ præditus politiores literas provexit: in cujus schola habuit orationem contra barbaros.

Mox recurrit Monasterium ad Langium & alios Veteres in scholis condiscipulos: Inde profectus Daventriam ad Ædicollios fratres, Gerhardumque Lystrium ubi quædam ex Aulo Gellio & aliquot epigrammata Martialis auditoribus proposuit.

Inde tendit Amstelrodamum, in qua Hollandiæ urbe primaria reperit Alardum Amstelrodamum, qui commentaria scripsit in Rodolphi Agricolæ libros tres de Inventione Dialectica, & in tomos collegit Rodolphi scripta Coloniæ edita, in cujus schola Porphyrii de prædicabilibus narratio-

tionem explicuit, & Petri Hispani ineptias refutavit atque auditoribus exhibuit unam Comœdiam Plauti.

Mox se recipit Alcmariam celebrem Hollandiæ urbem, ubi tunc studia rexit Joannes Murmellius, & cum ipsum carmine aliquo recitato suis auditoribus commendasset, abit Trajectum ad Gerhardum Noviomagum historicum.

Cum eo pergit Lovanium, ubi in Academia reperit Adrianum Barlandum, Adrianum Trajectensem, (qui postea Cardinalis & demum Papa factus est) Jacobum Latomum, Franciscum Titelmannum, item Conradum Goclenium & Hermannum Stuvium Westphalos, & insignes ibidem cum Reschio linguæ Latinæ reformatores, (quorum priorem ejusque suaviloquentiam Erasmus Roterodamus, & posteriorem Murmellius insigniter & mirificè commendat in publicis scriptis) Nicolaum Cleonardum & Joannem Campensem Græcæ & Hebrææ linguæ restauratores aliosque plures, ibi profitetur Buschius ex Organo Aristotelis tractatum de prædicamentis: Rhetoricam Ciceronis ad Herennium cum aliquot epistolis ad Atticum, his adjecit Hesi-

Hesiodi librum primum, & Horatium de arte poëtica, & ita in utraque lingua specimen suæ eruditionis eximiæ & præclaræ ibidem edidit, & cum admiratione & exultatione studiosorum auditus est.

Ex ea Academia se in Angliam recipit & ibi cum Joanne Coleto, Joanne Roffensi Episcopo, Thoma Moro, Vergilio Polydoro & aliis familiaritatem contraxit, & in schola nova Coleti & alibi in Academiis professus est, interea dum ex Anglia redit, proficiscens per inferiorem Germaniam, fit certior de morte Joannis Murmellii subitò Daventriæ exstincti, de cujus obitu in itinere scribit publicum mœroris carmen ad Rodolphum Langium.

Interea revocaverat Coloniam Buschium præpositus summi templi, Hermannus Comes à Nevvenar, qui eum vehementer amavit, sic inquam revocatus à Comite novæ Aquilæ Hermanno Præposito, qui cupiebat literas inprimis Coloniæ florere, ibi Catonis disticha & sua commentaria in Donatum edita repetiit, & aliquid ex Statio & Claudiano proponebat; legebat etiam Gellii aliquot libros & Plinii Epistolas. Et paulò ante ipsius reditum M.An-

M. Andreas Canther graviſſimè ibi quoque cum Joanne Cæſario taxaverat barbaram Alexandri Galli grammaticam, eamque ex ſcholis quibusdam ejecerat. Sed Buſchio ſe mox opponit Orthvvinus Gratius ejus olim condiſcipulus & popularis, reprehendens hoc obliquè, quod Buſchius in ſuis commentariis in Donatum ſcriptis, habebat, videlicet tale grammaticum ſcriptum magnis etiam Theologis, Doctoribus & Magiſtris neceſſarium, utile & fructiferum fore, idque fecit tam in lectionibus quam publicis ſcriptis.

Orthvvinus enim, vir alioqui non indoctus, in gratiam barbarorum Theologorum, (aucupans opimam aliquam præbendam & beneficia Eccleſiaſtica) ſeſe conjunxerat Jacobo Hochſtrató Theologo & Magiſtro noſtro, certanti contra Johannem Reuchlinum Capnionem, contra quem pro Hochſtrato Lovanienſes & Pariſienſes Theologi pronunciaverant. Interea dum utriusq; cauſa ventilaretur Romæ, ubi patrocinium Reuchlini ſuſcepit & ipſius actionem defendit Buſchii amicus, Doctor utriusque Jur. Joannes à Wick, (qui poſtea anno D. 1533. in Vaſtennovv ut ſanctus mar-

tyr, tyrannicè est occisus à Canonicis Monasteriensibus, propterea quod ibi promovisset Evangelii doctrinam,) cadit causâ Hochstratus, hinc fit ut sese conjungerent Præpositus Comes Neuvvenarius, Vlricus ab Hutten eques, Reuchlinus, & Buschius atque plures & epistolas obscurorum virorum ridiculas contexerent in invidiam Ortvvini Gratii; qui multis scriptis defenderat Hochstratum: & hæ jam etiam in multorum manibus sunt.

Mox ibidem edidit Buschius commentaria in Claudiani carmina de raptu Proserpinæ, ad Adolphum Eickholtz Canonicum D. Virginis ad gradus, ubi in præfatione acriter insequitur Buschius Alexandrum Gallum Grammaticum, vehementer, ut inquit ille, laudatum â quibusdam ineptis & insulsis Professoribus, blateratoribus & theologastris, quos optimo jure ibi perstringit, docens eos Coloniæ tam esse impudentes, ut omnes oratores & poëtas veteres, eosque probatos & ingenuos, ex mera inscitia oderint, cùm tamen nemo sit, qui vel ad Jurisprudentiam, vel ad Theologiam, cæterasque Medicinæ & Philosophiæ partes pervenire possit vel sit ido-

idoneus, qui non in meliori Grammatico & aliis politioris literaturæ ſcriptis verſatus ſit, quàm in Alexandri iſtius ſtabulo immundo, & qui aliter cenſeant, obtuſos eos eſſe reputat. Interim ſic pergit. Mi Adolphe, tales ita magno numero hic & alibi ſunt, ut non ſolum Angulos quosdam, ſed gymnaſia, thermas, theatra, porticus, plateas & fora omnia, adeo ipſa etiam templa repleant. Et ſunt adeò arctiſſimè inter ſe confœderati adverſus nos ipſos, qui veteris eloquentiæ ſtudioſi ſumus, noſtraque humanitatis ſtudia, ut putent nullum ad eximiam aliquam eruditionem pervenire poſſe, niſi in Alexandro Gallo verſatus ſit.

Idem Buſchius edidit Decimationes Plautinas, ubi ſic quoque contra Colonienſes indoctos Sophiſtas ſcribit: Tu quod Cicero, quod Varro, quod Livius, quod Cæſar & Florus, quod Valerius, quod uterque Plinius & cæteri emunctiſſimi Scriptores locuti ſunt, dubitas imitari, niſi conveniat ille Alexander. Hunc tu judicas idoneum ſtolide, qui de Vergilio aut Cicerone pronunciet. Quid ſi idem velis, ut ſus Minervam doceat.

 Cùm

Cùm hæc & similia scriberet, & in lectionibus proferret Buschius, rursum relegatur ex Academia Coloniensi. Ita operâ fratris Præpositi Hermanni à Neuvvenar, Wilhelmi Comitis in Neuvvenar & Morse, Domini in Bedber &c. promovetur, ut suscipiatur in Rectorem & gubernatorem scholæ in inferiori Wesalia Clivorum, ubi Conrectorem habuit M. Jodocum Hetlagium, qui in patria urbe Osnabruga Secretarium, Senatorem, Quæstorem atque Consulem postea egit.

Ibi conscripsit Vallum Humanitatis, quod Coloniæ typis suis evulgavit Joannes Gymnicus, qui hoc nomine apud Barbaros in periculum venit: ubi expressè gravi oratione in eos invehitur, qui veterem Coloniæ Barbariem sapiant. Et ita deinceps pergit: Quomodo quidam poëtriam (sic enim ajunt isti barbari barbare loquentes) & artes, puritatemque linguæ vituperent & tantùm ab illis Grammaticis Alexandro & Eberhardo omnia peti velint, plus quàm notum est. Et mox. Quicunq; modo primam & secundam partem, ut vocant, Alexandri & composita verborum attigit, satis superque jam ad omnes

omnes pandectarum libros & leges universas percipiendas idoneus auditor est. Imò si quid prætereà in Latinis literis profecit, omninò id velut superfluum in eo damnatur: imo quanto quis rudior fuerit, tantò fermè aptior ad leges & canones censetur. O temporum inscitiam, ô quantis vitæ in tenebris degitur ævum? Divus Hieronymus propter Latinum sermonem se ab ipsis incunabulis interGrammaticosRhetoresque & Philosophos detritum esse dicit, ut sic posset esse utilis Ecclesiæ. At nunc proh dolor optimæ indolis pueri & Ecclesiasticis quoque præficiendi officiis Grammaticos & Rhetores audire quotidianis propè convitiis prohibentur præter unum Alexandrum Gallum cùm Glossa notabili Coloniæ nata, quem si consultum profectui eorum vellent, quia se solos rectè consulere illis putant, prohibendi erant vel procul aspicere, postea ait, esse quosdam Phormiones Coloniæ qui Rhetoricam sub Grammatica primæ & secundæ partis comprehendant & ita ostendant se rem Philosophiæ ignorare. Et in præfatione ad Præpositum Hermannum Comitem de Nova Aquila, istum Heroa

ait penè ſolum ſtudia bonarum literarum ſola Coloniæ colere &c.

Interim Joannes Cæſarius, Arnoldus Weſalienſis, Joannes Noviomagus, Joannes Mattheus Phriſſemius cœperunt puriores poſtea literas Coloniæ accendere & propagare.

Quanta verò & quàm inſulſa fuerit dictio & præceptio in Alexandro Gallo & Eberhardo, & quam abſurda vocabula in Gemma Gemmarum & Hollokoth, aliisque ineptis ſcriptoribus, publicis ſcriptis invectivis teſtati ſunt apud Italos Sulpitius Verulanus, Antonius Mancinellus, Antonius Illuminatus & Aldus Manutius; item apud Germanos, Rodolphus Agricola, Rodolphus Langius, Alexander Hegius, Eraſmus Roterodamus, Jacobus Wimphelingius, Buſchius noſter & Joannes Murmellius, qui poſterior priorum teſtimonia in ſuo Scopario ad profligandam barbariem congeſſit.

Cum verò Buſchius aperiret Scholam Weſaliæ, ecce tunc ſub Camenero, Murmellio, Peringio, Horlenio, Tunicio & ſanè ſub multis aliis doctiſſimis viris ad annos ſedecim floruerant literæ in urbe

Mo-

Monasteriensi, item Svvollis sub Hermanno Torrentino, Embricæ sub Ioanne Ælio juniore, Tremoniæ sub Nehemio, & alibi in aliis locis de quibus diximus; Wesaliam ad audiendum Buschium Coloniâ & aliunde studiosi se conferunt.

Interea prodeunt Philippi Melanchthonis scripta, non tantum in causa religionis sed etiam in reparatione studiorum, quæ Buschius avidè legit. Et cum Lutheri & Philippi atque Bugenhagii Pomerani prodirent Theologica quoque scripta, cœpit illa evolvere & animum ad Theologiam adjicere, mirifico Zelo cognoscendæ veritatis, ideo in usum suæ scholæ colligit in ordinem primarias sententias ex Salomonis & Jesu Sirach scriptis: & interea legit avidè Biblica Scripta & veterum Patrum, ut ex Græcis Cyrilli, Theophylacti Vulgarii atque Chrysostomi, & tandem post turbas à Carolostadio datas, cum Witebergam rediisset Lutherus, contulit se quoque in eam Academiam noster Buschius, & invenit ibi ex popularibus Professores Otthonem Beckmannum (qui tamen propter religionem deseruit mox vocationem Witebergæ & rediit ad Papatum in Westphaliam) & Her-

mannum Tulichium. Ibi omnibus & Theologis & Professoribus erat gratus hospes Buschius, qui ibi Fortunati, Sedulii, Prudentiis & inprimis Severini Boëtii carmina non vulgaria explicuit magno cum auditorum fructu, inter quos etiam repertus est sæpe Melanchthon, & se eò contulit Petrus Mosellanus ad audiendum Buschium. Ibi eum tunc ex Westphalis audierunt, qui se cum ipso eò contulerant M. Rodolphus Mollerus, Homerus Buteranus, Henricus Sibæus Olphenius, Joannes Glandorpius & plures, qui postea mirificè & bonas litteras & ipsam pietatem in Westphalia propagarunt.

Etsi verò in magnis Papatus tenebris, ille & Langius & Hegius educati & nati essent atque etiam Pontificia sacra ardenter secuti essent & publicis scriptis defendissent, tamen sub tantâ caligine in fundamento perstiterunt, sicut carmina ab ipsis ante annos 70. plus minus scripta indicant. Rodolphi enim Langii pia carmina sunt hæc:

Hei mihi quàm lacerum crudeli vulnere corpus,
Gloria Majestas quo latuere DEI?

Quò

Quò te Christe potens miserorum culpa creator
Deduxit, flagris candida terga dares?
Utque latus ferro, sed acutis cuspide spinis
Heu caput & clavis dilacerare manus?
Et terebrare pedes sacros qui sydera calcant,
O dolor ô pietas sanguine cuncta manant.
Ipse crucis duræ properabas lætus ad aram,
Æthereas scandat pulvis & umbra domos.
Funde igitur gemitus sudantia vulnera cernens
Et scelera hoc studeas fonte lavare miser.
Terribilis ne te vestitus fulmine judex
Ingratum sternat mucroque vulnificus:
Ignivomos ponat vultus, sed morte precare.
Egredientem animam fronsque serena ferat &c.

Alexander Hegius inter alia sic de Christo scribit:

Robureo pressus trunco rex orbis Jesus
Fasce gravi venit namque levare suos.

Item de puero Jesu sic canit:

Alpha vocaris & ω, quia fons & clausula rerum es.

Item:

Morte sua cœli portam patefecit Jesus, &c.

Et quæ Hermannus Buschius in Papatu scripsit inter alia & hæc sunt carmina ejus:

Quod mucrone latus lacerum, quæ brachia cernis
Vel quos sanguineo rore rubere pedes?
Quas gens ecce manus duro furiata terebro
Foderit heu ligno tensaque crura sacro:
Quodque vides humile & nusquam sine vulnere corpus,
Hoc solum humanæ jura salutis habet.

Ex his versibus apparet, etsi quædam vel ad Sanctos, vel de alia superstitione scripserint in tantis tenebris Papisticis isti tres magni viri, quod tamen in fundamento religio-
nis

nis etiam tam superstitioso tempore manserint.

Interim dum agit Witebergæ Buschius, pergit se in Bibliis & lectionibus sanctorum Patrum diligenter exercere, & multa in religionis controversiis rectius intelligere quam antea.

Hinc deinceps factum est, ut dum Illustrissimus Princeps Philippus Hassiæ Landgravius cogitaret de Academia Marpurgi constituenda, atque ad ejus usum undique per Germaniam conquireret & convocaret viros doctrinâ & scriptis claros, & simul in consilium adhiberet D. Lutherum, Philippum & alios Witebergæ professores primarios, illi proposuerunt & honorificè commendarunt (ut multi etiam alii superioris Germaniæ viri docti faciebant) Principi, Hermannum Buschium, ut jam senem exercitatissimum in omni scientiarum genere & hoc nomine clarissimum, qui plurimum lucis isti novæ Academiæ daturus esset. Ideo & solemniter & cum pompa quadam per Inclytum Landgraviæ Principem vocatur Marpurgum & pro felici ingressu, munere eximio & serico vestitu donatur, & tunc Historici

mu-

munus ſuſtinuit & tantisper in poëſi tractavit poëtarum ſcripta quoque & quæ ad proſodiam pertinent, donec eò vocaretur Eobanus Heſſus Francobergius: & in ea Academia abſolvit totum opus Livii & Cæſaris, & cum Gerhardo Noviomago, quem olim Trajecti in aula noverat, interdum etiam ſacra tractavit & propoſuit Auguſtini librum de Eccleſiaſticis dogmatibus de fide ad Petrum, & librum Sapientiæ: interim omnes cum admiratione & voluptate audiverunt prælegentem ſenem Buſchium.

Memini multos præſtantiſſimos viros nobis aliquoties referentes, (inter quos erat Georgius Honderlagus Medicus Doctor, qui per Decennium in ea Academia hæſerat continuo) quomodo Caſparus Rodolphus Suevus Profeſſor ibidem Dialectices (cujus etiam Dialectica exſtat) licet ſemper infenſiſſimus Weſtphalorum hoſtis fuerat, dixerat tamen, *ego etſi in VVeſtphalos*, (tractaverat enim ipſum malè unus ex Weſtphalis Ludolphus Cothemannus Joannis filius Lemgovienſis) *valde malè affectus ſemper fuerim & adhuc ſim, tamen ſi verum, fatear, non habuit hæc Academia*

cademia eloquentiores Professores quàm duos illos VVestphalos, Buschium, & Joannem Glandorpium Monasteriensem, qui Buschio in professione historiarum successerat. Buschius Anno D. 1529. libros duos de autoritate verbi DEI, tam ex Patribus quam ex Scriptura Sacra diligentissimè collectos emisit.

Audivit quoque inter alios auditores etiam designatus, Lutherum cum Cinglio, & Philippum cum Oecolampadio conferentem, & memini Glandorpium nobis referentem, quod Monasterii propediem in Sacramentariorum opinionem traxisset ipsum Rothmannus, nisi eo se contulisset Buschius, qui quoque dixerat se similiter fuisse propediem, Oecolampadii, Cinglii, Capitonis (quem in aula Moguntina noverat) & Buceri sententiâ Sacramentariâ præoccupatum, & ferè istorum libris seductum, nisi coram audivisset Lutherum graviter refutantem Cinglii putida argumenta, & Philippum fallacias & absurditates in argumentis Oecolampadii indicantem, ab eo enim tempore, dixerat Buschius, ego perstabo in sententia Lutheri, & ut idem faceret Glandorpius, suaserat.

Mar-

Marpurgi optimi quique Professores (inter quos erant Joannes Fontius, Adamus Krafftius Fuldensis, Theologi) eò perduxerunt Buschium, ut ibi tandem senex iniret cum honesta puella matrimonium, & cum ea anno D. 1527. nuptias celebraret, ex qua genuit filium Hieronymum, qui paulò ante patrem occubuit Dulmone.

Cum verò Bernhardus Rothmannus inciperet causam Evangelii feliciter tractare Monasterii, Buschius eum variis consiliis & scriptis juvit & in proposito confirmavit. Verum cùm ille inciperet cum certis quibusdam Collegis rothizare, hoc est rei Sacramentariæ & Anabaptisticæ factioni se adjungere, rogarunt consules & senatores in urbe Monasterio Buschium, ut aliquos mitteret, qui cum puris Evangelii ministris, sectariis istis occurrerent, aut ut ipse se in Westphaliam reciperet, ut patriæ periclitanti succurreret. Ita ille jam pertæsus laborum, de hortatu reliquorum Theologorum, descendit cum familia in Westphaliam, ut Dulmone oppido ditionis Monasteriensis pedem figeret (habebat enim ibi aliqua hæreditaria bona ex matre.) Quò cùm venisset, mox eum evo-

ocant Monasterium consules & senatores
ı metropolin Westphaliæ de consilio Syn-
ci Doctoris I. V. Joannis à Wick sancti
ıartyris : ubi adveniens omnia invenit
ırbata ; vidit enim Rothmannum arro-
ıntem triginta annorum juvenem, suis,
ıibus à DEO excellenter ornatus erat,
onis & bonis spiritualibus abutentem, jam
perbire, suo indulgere ingenio, erigere
·istas & insolescere. Amicè itaque cum
ɔ privatim de omnibus turbis voluit con-
:rre, sed videbatur senem Buschium, jam
ımen optimè de re literariâ & etiam de
cclesia meritum, juvenis Rothman ex me-
ı insolentia & arroganti petulantia, cùm
bi soli videretur sapere & se omnibus ho-
ıinibus doctiorem esse, licet illi multum
ebebat acceptum referre, contemnere &
ræ se vilifacere.

Senatus igitur cùm videretur amica
ompositio irrita fieri & esse, instituit in
uria colloquium publicum 7. Augusti co-
ım omnibus senatoribus & tribunis Anno
).1533. In eo autem colloquio quid dixe-
t & egerit D. Buschius, jam breviter re-
:ram : quamvis necesse erit, ut prius re-
enseatur quos collegas, quos quoque
ad-

adverſarios, contra quos ei diſputandum erat, habuerit ibidem Buſchius.

Collegas habuit in ea diſputatione Joannem Holthuſium Ahuſenſem Patrem in domo fratrum, & ibidem procuratorem Theodorum Bredevortium, M. Joannem Glandorpium, Petrum Wirthemium, Brixium Nordanum, Arnoldum Belholdum quondam Judicem. Adverſarios habuit Bernhardum Rothmannum, Joannem Clopriſium, Henricum Rollium, Godefridum Stralen, Dionyſium Vynen Diſtenſem, & Hermannum Stapradam Anabaptiſticæ factionis aſſertores, quorum omnium nomine reſpondit in Colloquio Rothmannus. Conferebant coram ſenatu utriusque partis patroni idiomate Germanico, & quidem patrio, & ſingulorum verba in chartas relata ſunt. Quæ ego Hamelmannus aliquando Latina feci & in lucem dedi, interim relationem eorum, quæ D. Mag. Buſchius protulit, cùm ad hanc hiſtoriam pertineant, ſubjiciemus, ut cognoſcatur quo fructu Eccleſiæ inſervierit Hermannus Buſchius:

Ini-

Initium colloquii tale fecit Buschius:

Clarissimi & Prudentissimi Proceres, in c celebri consessu congregati, ego quim superiori anno vehementer gaudem, & magna lætitia perfundebar, quod direm in patrii nostri soli urbe primaria, angelium Christi depositis abusibus progari, & Sacramenta citra ullam superstinem juxta divinam institutionem trari & erogari publicè in Ecclesiis: tum ioque ministerium Bernhardi Rothman hominis ingeniosi & facundi, de quo nc temporis multum spei conceperam, atulabar nostris Monasteriensibus, sed ea spes me fefellit & videtur gaudium in mœrorem transmutatum esse: cum inm casum res Ecclesiæ & Reipublicæ depsa sit, ut nisi DEUS optimus max. hoc ertat, multum & damni & periculi uique immineat. Quod etiam mei meim Collegæ, confratres & amici colendi c mihi astantes, æquâ lance trutinantes militer vicem Ecclesiæ, & turbatum eip. statum deplorant, orantque mecum lium DEI sedentem ad dextram DEI Pais & dantem dona hominibus, tanquam

autorem veræ pacis, ut mitiget utrobique dolores, & Ecclesiæ concordiam in unitate fidei reipub. autem tranquillitatem clementer tribuat. Quod verò Senatus petit, faciemus nos bona fide id, quod bonos viros decet, in omni lenitate gratificaturi libenter ejus prudentiæ, modò adversæ partis patroni, proferant de sua opinione propriam confessionem, an etiam in nova nuper suscepta sententia, & ea responsione vel apologetico scripto, quod non ita dudum conclusionibus & censuræ Theologorum Academiæ Marpurgensis opposuerunt, perseverent, & sint propensi, ut de his nobiscum coram prudentiss. Senatu & providis tribunis conferant, idque amicè & modestè.

Cum se adversarii per Rothmannum splendidis verbis declarassent, sic pergit Buschius: Postquam Dn. Bernhardus suo & suorum Collegarum, amicorum nostrorum nomine, ad amicam nobiscum habendam collationem de duobus sacramentis, videlicet de Baptismo & Eucharistia, eâ tantum lege se offerat, ut ex verbo DEI transactio fiat, & veluti ipsi ex præscripto Senatus, se paratos dicunt, quod ve-

nt locum dare veritati manifestæ ſi con-
cantur : ita nos quoque non aliter ex-
eamus affectos, quàm ut manifeſtis de-
nſtrationibus verbi DEI convicti ultro
ere non erubeſcamus, quod quidem
tri mecum haud gravatim ſuſcipiunt.
erim rogamus, ut ſicut nos agemus mo-
tè noſtras partes absque rixis, alterca-
ne & tumultu, ita & quisque iſtorum
cidè & ſincerè agat, ne quoque ullus
ſuo propoſito pertinax & obſtinatus per-
eret, ſed ut luculenter ſuam quisque
em apertè in verbo DEI fundatam te-
tur. Quod ad nos attinet, ego qui-
n & meo & meorum collegarum no-
ne reſpondeo, nihil nobis prius in vo-
eſſe, quam hujusmodi fieri colloquium,
quo placidè, modeſtè, ſedatè & piè de
ni re propoſita diſſeratur, ex verbo
I, cui ſanè nos cedere paratiſſimi ſu-
s, modò id rectè & in germano ſince-
que ſuo intellectu aſſumatur, explice-
& intelligatur. Nos quidem omnia
iemus quæ Chriſtianos, modeſtos & pi-
viros decent, ideo ardentibus votis o-
nus DEUM optimum max. non minus
quam adverſarii, ut celebrem hanc ur-

 bem

bem clementer ab omni malo protegat & in ea Ecclesiam ab omni errore, hæresi & dissidio tueatur.

Mox ad hæc respondit homo impius Bernhardus Rothmannus, qui post colloquium furore percitus pedetentim abjectis tandem Bibliis, Enthusiasmo & novis raptibus agitabatur: imò abjecto legitimo suo officio, factus est novi & Anabaptistici Regis orator, & deinde uno simul tempore sex conjuges conjunctim duxit, & sic suam horrendam impietatem prodidit. Sed ad hoc responsum Rothmanni auditum sic Apologiam texuit M. Hermannus Buschius pro felici causæ ingressu.

In nomine Domini amen! Dn. Bernharde, amice carissime & reliqui vos Domini præsentes ab altera parte. Nos quidem valdè miramur, vos modò adversarios nostros; pro anathemate, & loco abominationis habere & reputare pædobaptismum coram DEO, & in ejus sancto aspectu, cum sanè hoc de nostra sententia videatur horrendum & obstupescendum. Nam, si hoc verum esset, sequeretur nos quidem omnes, quotquot infantes bapti-

ptizati ſumus, eſſe abominationem, id-
ie ſane coram DEO ipſo. Non minori
ıoque admiratione ducimur, quod ex ve-
:is collegis Dionyſius referat, pædoba-
iſmum in ſcripturis divinis nullum ha-
:re fundamentum: Ideo, ſi illud, quod
on expreſſis literis & ſyllabis habetur in
:rbo DEI exſculptum, deberet eſſe abo-
ıinabile, juxta veſtram ſententiam, id eſt
ıathema, ut dixit Rollius: tunc quoque
on legitur expreſſis verbis & nominatim
ibi explicitum, ut porrigatur mulieribus
uchariſtiæ Sacramentum, cum tamen hoc
: in antiquiſſima & noſtra Eccleſia ſit uſi-
atiſſimum, ergò eſt anathema, & abomi-
atio coram DEO. At hoc non poteſt eſ-
: verum, niſi fortè omnium temporum
)octores, unà cum Apoſtolis erraverint,
leò etiam veſtrum argumentum non
oteſt eſſe verum. Deinde quoque nul-
bi in ſcripturis legitur, quod pædoba-
tiſmus dicatur abominatio vel anathe-
na coram DEO eſſe, doceant igitur ad-
erſarii, quomodo & quatenus poſſit eſſe
c nominari anathema & abominatio pædo-
aptiſmus?

Nos quidem fatemur in ſacris literis

 nulli-

nullibi expreſſè talibus ſyllabis & literis, vel iis verbis, apertè inquam exſtare mandatum, quod infantes & pueri ſint baptizandi. Interim conſequentia & ſenſus hujus aſſenſionis & ſententiæ poteſt ex iis perſpicuè deduci & demonſtrari. Cùm igitur adverſarii velint, ut omnia ex Scripturis ità apertè approbentur; tunc quoque peto nobis demonſtrari, quô in loco dicat ſcriptura pædobaptiſmum eſſe anathema coram DEO. Secundò, arbitror apud non contentioſos facilè demonſtrari poſſe ex rationibus & conſequentia ſcripturarum, licitum eſſe infantum baptiſmum, ut vel inde ſequatur nunquam appellari poſſe eundem anathema vel abominationem coram DEO. Legitur Exodi IV. quomodo puerum incircumciſum Moſis, angelus lethali & gravi morbo percuſſerit, propterea, quod non eſſet â parentibus circumciſus, acceptâ autem circumciſione à matre, revaluiſſe puerum: ex quo exemplo perſpicuè apparet: in pueris Sacramentum baptiſmi per ſe efficax & ſalutare eſſe, etiamſi iſti ratione careant. Nam propterea non eſt neceſſarium, ut tantiſper ſacramentis priventur, donec

ıec propriam habeant vocalem fidem
:ri, quia alioqui etiam hoc non minus
veteri Teſtamento fuiſſet neceſſarium.
raham cùm crediđiſſet, accepto pri-
m mandato de circumciſione, ſe qui-
n credentem DEO vocanti, circumci-
, filium autem infantem, nondum ha-
ıtem vocalem fidem, octavo die nati-
ıtis ſuæ circumcidit: Et hæc exempla
ıt perſpicuè in verbo DEI fundata, quæ
ıgiis everti nequeunt. Sed hic fortè
:ipient adverſarii circumciſionem eſſe
:eris Teſtamenti, Baptiſmum eſſe novi
ſtamenti ſacramentum, ideoque rem
: diverſam. Sed utrumque Teſtamen-
n unum nobis DEUM, unum Chri-
m, unam fidem, & unam Eccleſiam
edicat, nec aliâ fide iſti, quotquot ſal-
:i ſunt ſub veteri Teſtamento, quam eâ,
æ & noſtra eſt, ſalvari potuerunt. Et
illos ſpiritualem potum bibiſſe & ean-
m eſcam edidiſſe refert ſcriptura, ità
ınes ſub nube baptizatos fuiſſe. 1. Cor. X.
fortè adverſarii urgeant, circumciſio-
m eſſe & dici fœdus & ſignaculum, ideo
ud eſſe. Sed idem quod de circumci-
ne dicitur, noſtrâ conceſſione poteſt

etiam de baptiſmo dici, quoniam quod nobis baptiſmus eſt, id fuit circumciſio iſtis olim, & poteſt utrumque nobis etiam utrobique myſterium fidei, hoc eſt quaſi analogon fidei eſſe, quia, ut prædicto loco aſſeritur, Apoſtolus populis veteris Teſtamenti aſſignat aliquem baptiſmum, ità quoque Philip. 3. nobis Chriſtianis aſſignat circumciſionem aliquam, & ejus myſterium. Nos enim, ait, ſumus circumciſio, qui Spiritu DEUM colimus, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non confidimus in carne.

Unum adhuc propono argumentum, idque contra eos, qui dicunt pædobaptiſmum eſſe coram DEO abominationem & anathema, in ſacra ſcriptura Deuteronomii ſic legitur cap. XII. *Quod tibi præcipio, ait DEUS, hoc tantum facito domino, nec addes ad illud, vel ei quicquam detrahes.* Jam verò qui pædobaptiſmum pro anathemate habent, addunt verbo DEI ſine ullo dubio aliquid vel proferunt aliquid, quod non eſt in verbo DEI expreſſè fundatum. Ideo iſti agunt contra mandatum DEI, prohibentes hoc quod nusquam à DEO legitur prohibitum &c.

Ad

Ad hæc argumenta, cum prolixâ commentatione respondisset Rothmannus, mox l istas objectiones & effugia Rothmanni futanda, protulit Buschius hæc sequen- a argumenta.

Ad exceptionem primam Dn. Bern- ardi, quod peccatum abominationis co- m DEO in iis, qui ignoranter peccant, on sit per sese quædam abominatio, cu- is rei dat exemplum de Missa Papistica, c respondeo: Pro mea simplicitate fa- eor, quod hæc non satis assequar aut in- elligam, nam quomodo abominatio non it abominatio, & peccatum non pecca- um, ego satis non percipio, & video hic nira effugia: interim ut sunt sæpè peccata, uæ nos vel non intelligimꝰ, vel ignoramus, icut David ait, *delicta quis intelligit, ab oc- ultis meis munda me domine:* Ita nullum otest peccatum excusari. Ideò constanter adhuc retineo meam priorem sententiam, dicens, si juxta opinionem Dn. Bernhardi & suorum collegarum pœdobaptismus nihil aliud esset, quam peccatum & abominatio; tunc nos omnes non ritè baptizati essemus aut essemus peccatum, vel abominatio. Interim baptismus per

F 5 se,

se, non potest esse peccatum, pædobaptismus est juxta institutionem Christi peractus in pueris, ergò est baptismus, & ita non potest esse abominatio. De Missa jàm nihil disputatur. Ad argumentum meum de circumcisione filii Mosis, quod nihil respondeat adversarius, jam adnotari cupio à notariis.

Ad secundum effugium, quòd ex mea concessione conatus est adversarius eruere suam opinionem, quòd pædobaptismus propterea sit abominatio, postquam de eo nihil clarè & explicitè in sacris literis expressum habeatur, respondeo, me mirari, ita conari evadere adversarium. Interim ego constanter assero non esse opus, ut explicitum & externum certis suis syllabis comprehensum mandatum, aut verbum aliquod, pœdobaptismus habeat, postquam prius adversariis opus sit vel inprimis, ut illi ante omnia in initio demonstrent expressis verbis per syllabas & literas ex sacris literis, pædobaptismum nominari & dici abominationem vel anathema, cùm nos dicamus ne quidem illicitum vel interdictum aut prohibitum esse pædobaptismum.

Mul-

Multa quidem ſunt, quæ piè credit & ſcipit Eccleſia Catholica, quæ tamen ertis Syllabis & literis expreſſis explicitè on ita exſtant relata in ſanctis ſcripturis: terim iſtorum omnium ſenſus facilè ex ripturarum conſequentia poteſt erui, templum eſt virginitas Mariæ perpetua. einde quoque nusquam in ſacris literis le-tur, quod Apoſtoli baptizati ſint, quamvis hil ſit certi9 quàm eos baptizatos eſſe, poſt-am aliis baptiſma contulerint, quod non ciſſent, niſi baptizati fuiſſent. Ità Virginita-m Mariæ ex conſequentia ſcripturarum emonſtrat contra Helvidium Hieronymus. t diximus antea ſimili modo nusquam gi expreſſe, quod mulieribus debeat por-gi ſacramentum Euchariſtiæ, tamen opterea non ſequitur, quod arceri à mmunione corporis & ſanguinis debe-nt.

Satis quidem expreſſè ipſa figura ba-tiſmi in Veteri Teſtamento delineata no-is exprimit pœdobaptiſmum, poſtquam aulus dicat eos omnes in mari baptizatos ſſe. Nam cùm illorum eſſent ad ſex cen-ena millia hominum abſque omni dubio c ſine ulla exceptione plurimi inter eos infan-

infantes & pueri fuêre, & propediem infiniti etiam pendentes ab uberibus matrum inter eos reperti sunt. Cum ergo scriptura illos omnes baptizatos dicat sub nube in mari, ideo etiam omnes pueri, infantes & in ulnis gestati ità baptizati sunt, & si hoc sub figura & velamine istis pueris accidit, quantò magis veritate manifesta jam in novo Testamento nostri pueri baptizari debent, postquam delatum Evangelium sit ad omnes gentes, quas etiam sine exceptione, ut Matthæi ultimo capite legitur, baptizare debebant, ideo etiam sub eis quoque ipsarum infantes comprehensi sunt. Deinde ut scripturam dicis sæpe tantum virorum facere mentionem, quando tamen non excluduntur fœminæ, ita rursum dico eatenus quoque non excludi puerulos, sed eos quasi includi vel subintelligi: Sicut Joannis VI. capite discubuerunt 5000. viri, & tamen ab eis non excludebantur mulierculæ & pueri, quia fit pueruli (græcè dicitur παιδάριον) mentio in textu, ideo Matthæi XIV. dicitur, præter mulieres & pueros, sicut etiam sequenti capite dicitur. Legimus etiam quosdam Patresfamilias cum suis baptizatos esse

esse, vel cum tota familia, ut Actus Apostolici testantur, ubi dicitur quod totæ domus baptizatæ sint, ibi sub Patribusfamilias, subque ipsa familia, & sub domibus etiam infantes & pueri sunt comprehensi, & credo inde originem habere, quod hodie patroni, quos susceptores vocamus, adhibeantur baptizandis pueris: Postremo scimus hunc morem baptizandi pueros & infantes, jàm inde à tempore Apostolorum usque ad nos semper in Ecclesia servatum atque usitatum fuisse & adhuc esse: ideo valdè & periculosum, & nostrâ sententiâ, impium est dicere, pædobaptismum esse impium quid, & Anathema. Esset quoque valdè mirandum, quot à tot Doctoribus veteris ecclesiæ per sesquimille annos, vel etiam ab illustribus nostræ ætatis & ævi Theologis, nihil istorum esset observatum; ideo in his periculosis temporibus hoc merito debebat esse suspectum & profanum, quod à tempore Apostolorum usque ad nos nunquam in Ecclesia receptum & probatum fuit, sed tanquàm novum & inauditum est, ideò meritò rejicitur.

Hactenus pro pædobaptismo audivimus

mus differentem Hermannum Buſchium coram Senatu Monaſterienſi, & Tribunitia ibidem poteſtate.

Buſchius verò, cum altero die prolixam refutationem eorum omnium, quæ pridie dicta erant â Rothmanno, coram Senatu, tardiusculè, & ita, ut poſſent eam excipere Notarii, recitaret, nec tamen pertexeret, quòd ut homo ſenex ſedendo per IV. horas continuò, tum quoque dolore propter obſtinatam adverſariorum malitiam defatigatus, feſſus, & laſſus, cœpiſſet ægrotare. Ita deſcendens ex curia verè curis plenus, cùm vix facerent pedes ſuum officium, undique in foro & per plateas, riſui erat expoſitus phanaticis, qui bonum ſenem miſerè vexabant, quaſi eſſet elinguis factus, & tàm â Domino punitus. Ita properat exire ex urbe & venit Dulmonem, ubi cùm paulò ante ipſum extinctus eſſet filius Hieronymus, ipſe moratur in ædibus conſobrini ſui Godofridi de Schedelich, Satrapæ Dulmonenſis. Et ſic in initio obſidionis Monaſterienſis anno Domini 1534. placidè & feliciter in Chriſto obdormit, eo morbo, quem ſibi Monaſterii ex mœrore contraxerat: & altero

ɔoſt eum anno moritur conjux ejus
eida.

Hactenus diximus de vita, laboribus,
eribus, curſu vitæ, & fine viri clariſſimi
lobilis Hermanni Buſchii, optimè de ſtu-
& eccleſia meriti. Nunc dicemus, quæ
ɔrum ſuorum monumenta in lucem de-
it.

Scripta quædam Conradus Geſnerus
Bibliotheca, Lycoſtenes & Georgius
ılerus referunt. Hermanni Buſchii com-
ntaria in Donatum ex Priſciano, Dio-
de, Servio, Capro, Agretio, Phocā,
rrone, Aldo, Perotto, Nebriſſenſi &c.
ılecta & edita Baſileæ per Thomam Pla-
um anno Domini 1540. (ſicut antea Co-
ıiæ & Daventriæ & Monaſterii erant
cuſā.)

Decimationes Plautinæ impreſſæ Co-
niæ: Epiſtola primam Perſii Satyram
plicans, impreſſa Pariſiis apud Weche-
m, & Coloniæ apud Gymnicum. Ars
emorativa neſcitur an ſit publicata. Val-
m humanitatis, qui liber eſt impreſſus
ɔloniæ.

In Silium Italicum annotationes excu-
: Baſileæ apud Thomam Wolphium.

Com-

Commentarii in primum librum Martialis obſcœnis carminibus rejectis, excuſi Coloniæ. Hypanticon verſibus Heroicis Antiſtiti Spirenſi Georgio Palatino Rheni Comiti, ſuper ſolemni ſuo in Spiram ingreſſu, dicatum, Cratander, Baſileæ anno Domini 1520, excudebat: Scripſit etiam epigrammatum libros tres, ex quibus tertius eſt Lipſiæ anno Domini 1504. excuſus, (reliquos duos curaverant excudi Daventriæ & Monaſterii Langius & Hegius anno Domini 1498.) Exſtant ejus Annotationes in Juvenalem. Scripſit quoque de ſingulari autoritate veteris ac novi Teſtamenti. Sacrorum eccleſiaſticorum teſtimoniorum farrago in duos libros diviſa & impreſſa Marpurgi anno Domini 1529. Hactenus recenſuimus, quæ ibi ex lucubrationibus Buſchii exſtent & recenſeantur: addemus autem & ea quæ nos vidimus prætereà adhuc.

Scripſit elegantiſſima commentaria in Claudianum impreſſa Coloniæ: Scripſit quoque carmen lugubre de obitu Joannis Murmellii, Daventriæ excuſum: Scripſit & carmen de urbe Colonienſi, cui titulum fecit, Floram. Deſcripſit quoque ur-

urbem Lipſiam publico carmine, in quod ſcripſit Philippus Noveſianus Hasfurtinus commentaria, & carmen cum commentariis excuſum eſt Lipſiæ anno Domini 1521. à Martino Herbipolenſi. Scripſit gratulatorium carmen de adventu Eraſmi Roterodami Coloniam, ibidem excuſum. Scripſit Hecaſticha ad Fredericum Trajectenſem Epiſcopum, urbem Daventriam ingredientem, Daventriæ excuſa. Brevia quoque Scholia in Æneida Vergilianam ſcripſit: Item anno Domini 1498. ſcripſit de triplici Pſalterio Mariæ ad Joannem Rincum carmen doctiſſimum Coloniæ excuſum. Selegit quoque ſelectiores epiſtolas Ciceronis in uſum Scholæ Weſalienſis: edidit etiam Orationem ad Clerum Colonienſem valdè doctam & ibidem excuſam, quâ omnes Eccleſiaſticos hortatur ad lectionem ſcripturarum. Edidit Lipſiæ anno Domini 1502. Spicilegium LIII. illuſtrium Philoſophorum autoritates vel ſententias, & epigrammata quædam in laudem D. Virginis: Item Oeſtrum in Tilemannum Heverlingium Lipſiæ anno Domini 1506. editum. Scripſit etiam carmina de morte Wilhelmi Co-

mitis de Nova Aquila, ad filios Hermannum Præpositum & Wilhelmum Comitem in Morsa. Item de Catharina virgine, ad Hermannum Gosbachium: item gratulatoria carmina ad Hermannum Comitem Neuvvenarium & Martinum Oedkempensem, Coloniæ excusa.

Scripsit & alia, quæ aliquando mihi visa sunt & tamen modo non occurrunt.

Ut autem hactenus de scriptis Hermanni Buschii egimus, ita quoque docti Grammatici doctum de tribus Hermannis Westphaliæ luminibus carmen subjungemus. Is est Henricus Sibæus Olphenius, qui sic scribit de istis:

Tres tulit insignes nobis summeque peritos
Hermannos nuper Westphala terra viros:
Buschius est primus vir nobilis atque poëta,
Quem colit Aonius Pieriusque chorus.
Alter adest docto lepidoque Tulichius ore
Grammaticus doctus, Rhetor & eximius.

Ter-

Tertius hinc ſequitur vero cognomine Bonnus,
Quod bonus ingenio, quod bonus arte fuit,
Hic docuit multos ſincero pectore Chriſtum
Non hic vaniloquus non Thraſo magnus erat.
Simpliciter plebem docuit ſine fraude dolisve
Quod minimè faciunt, qui ſua lucra petunt:
Jam ſi quis quærit Patriam, natale ſolumque
Hos naſci voluit quo DEUS omniſator:
Buſchius ad fluvium genitus, quem Vare videbas,
Sed non Romanis nuncia læta ferens:
Padera Tulichium nobis dat nobile flumen
Ingens qui patrii lausque decusque ſoli:
Haſa dedit Bonnum fluvius non magnus, at uſu
Commodus, ut teſtis accola dives erit.

Bibliothecam Buſchii libris in Italia paſſim editis ſplendidiſſimam cùm cuperet ejus cognatus vir doctus & nobilis Rotgerus Schmiſingius Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis Decanus, transferri ad uſum publicum, autorque eſſet ſuo capitulo, ut emeretur ab ipſis, ſcripſit ad fratrem Hermanni Buſchii Dn. Burchardum Buſchium Cathedralis eccleſiæ Decanum in urbe Minda, verùm is in honorem Patriæ, illam Bibliothecam liberaliter donavit Capitulo Cathedrali Monaſterienſi.

*** *** ***

CONCLUSIO
AD NOBILES FRATRES
DN. NICOLAUM,
ET
DN. OTTONEM
A MONICHAUSEN.
DN. SATRAPÆ ET CAPITANEI LIBORII A MONICHAUSEN FILIOS.

Audi-

Audiviſtis jam nobiles, eximii & ornatiſſimi juvenes, vitam, genus, ortum, familiam, labores, certamina, doctrinam & mortem veſtri cognati viri clariſſimi & doctiſſimi atque æque nobilis Herois D. Hermanni Buſchii inde ab ipſa ejus pueritia usque ad finem vitæ à nobis recitatam & prolixius declaratam ordine eſſe. Quantus igitur vir, quàm eruditus, quàm celebris, quàm ingenioſus, quâm facundus, quam acutus, quàm terſus, quàm purus, & quàm egregie verſatus in omni genere autorum veſter cognatus Buſchius fuerit, nos quidem balbutiente lingua vel potius calamo, mediocriter explicuimus, & addidimus quomodo paſſim ipſe in Germania literas Politiores & linguam Latinam ac Poëſin reſtituerit, ut etiam fuit poſt Rodolphum Agricolam, Rodolphum Langium, & Alexandrum Hegium primus & præcipuus cum Conrado Celte & Ioanne Murmellio in Germania poëta, & certè multum hinc inde præſtitit primò in ſcholis & deinde in Eccleſiis, Buſchius.

Buſchio certè & multis Weſtphalis acceptum referat Germania, quod Latina lingua floreat ubique. Rodolphus Agricola

Frisius in terminis Westphaliæ natus primum fecit initium reformationis Latinæ dictionis. Mox ejus erant socii eodem tempore, Alexander Hegius Westphalus Daventriæ, Rodolphus Langius Monasterii in media Westphalia, Antonius Liber Susatensis Amstelrodami & Alcmariæ. Item in superiori Germania Ludovicus Dringebergius Westphalus cum Rodolpho fortiter incepit. Post illos Erasmus Roterodamus Hegii & Antonii Liberi Westphalorum discipulus, Buschius, & Timannus Camenerus Westphali & Joannes Murmellius, qui per omnem vitam non tantum profecit & scripsit in literis politioribus quàm in media Westphalia Monasterii. Jacobus Wimphelingius Dringenbergii discipulus cum multis condiscipulis præstitit in superiori Germania idem. Deinde in inferiori Germania Conradus Goclenius & Gerhardus Listrius uterque Westphalus & Westphalorum discipuli Alardus Amstelrodamus & Hermannus Torrentinus: In Misnia post illos Joannes Rivius & in Superiori Saxonia Ottho Beckmannus & Hermannus Tulichius tres simul Westphali, qui bi erant reformatores linguæ Latinæ & interim

m prætereo eos omnes, quorum hono-
:a eſt facta mentio in hac tota oratione.
ɔ certè Germania fateatur ſe Weſtpha-
multum debere & imprimis veſtro co-
ıto & veſtræ maternæ familiæ unico
endori Hermanno Buſchio gratias agat,
nde merito ipſi gratiam habebit purior
:leſia, quod ex fontibus Iſraël verita-
ı contra phanaticos fortiter defen-
it.

Cum igitur vivat jam in cœlis ſine o-
ıi dubio, ita quoque volui ut viveret in
ıolis & Eccleſia adhuc nomen Buſchii, ut
ſteritas eum celebraret & veneraretur
pro præſtita opera illi gratias ageret.
eſt igitur Buſchius honor & decus toti
'eſtphaliæ, ita quoque ſuo generi & ve-
æ H. quæ ex ejus ſtemmate nobili & vete-
originem ducit, multum laudis adfert.
ltem hoc unum vobis reſtat, ut ejus ex-
nplar ad imitationem vobis proponatis,
ıde ſalutem in cœlo, & laudem apud li-
ratos atque in eccleſia reportabitis.

D I X I.

Plura de Buschio vid. apud Melch. Adamum in Vitis Philosoph. p. 36. seq. edit. nov. in fol., Dav. Chytræum Orat. de Westphalia, apud Jo. Goes in Opusculis de Westphalia, p. m. 17. 18. Item in Epistola ad Henricum Meibomium, quâ ipsi de laurea poëtica gratulatur, apud eundem Goes l. c. p. m. 25. Thomam Crenium Animadvers. Philol. Hist. Part. XI. p. 263. seqq. Adde, si lubet, Diss. nostram de Meritis Westphalorum in Academiam Rostochiensem, heîc loci MDCCVII. hab. p. 40. seqq. &c. Scriptis ab Hamelmanno recensitis addi poterunt sequentia:

Commentarius in Lactantii Hymnum de resurrectione Christi. *Vid. Crenius Animadvers. P. IX. p. 281. seq.*

De Pædobaptismo Disp. habita Monasterii Westphalorum anno 1533. contra Bernh. Rothmannum & complices. ed. Monast. 1572. in 8. *Vid. Jo. Clessius in Elencho p. m. 17. fin. ut & Mart. Lipenius in Bibl. Theol. pag. 36. b.*

Carmina; quæ habentur in delic. Germ. p. 833. Vid. *Georg. Matth. Königius in Bibl. Vet. & nova, p. 145.*

ORA-

ORATIO
De
VITA ET OBITU
ARNOLDI
BURENII,
WESTPHALI,

Bonarum Literarum in Academia Rostochiensi Professoris clarissimi,

in

Novi Rectoris Academici renunciatione

ANNO MDLXXIIX. XVII. Cal. NOVEMBRIS

Rostochii

habita

à

NATHANE CHYTRÆO. *

---

* Conspicitur hæc Oratio in Volumine Orationum Burenianarum, Rostochii anno M.D.LXXIX. in 8vo ab eodem Chytræo editarum, ut &, quamvis omissis quibusdam, in Variis, de Westphalia ejusque doctis aliquot Viris, Opusculis, Adnotationibus à Jo. Goes Westphalo illustratis, Helmst. M DC LXVIII. 4to. num. VIII. p. m. 136. seqq.

SÆpenumerò, dum in hoc Magiſtratu ſcholaſtico verſatus ſum & ratione officii illius mei, univerſumReipubl. noſtræ litterariæ corpus ejusque plagas & vulnera conſideravi: Inter alia etiam cogitare mecum cœpi, quænam potiſſimæ cauſæ eſſent petulantiæ & ferociæ, quâ quodammodo infectam & imbutam eſſe noſtræ ætatis juventutem, omnes ſubindè conqueruntur. Arbitrabar enim, cauſis illis inventis & perſpectis, fore, ut remediorum quoque ratio aliqua, ſi non ſubito & in præſentia, ſaltem pedetentim, & ex aliquo temporis intervallo, multis viris gravibus & prudentibus contra has corruptelas unanimiter copiolas ſuas conjungentibus, poſſet uniri. In diſquiſitione autem illa non minimam equidem mali hujus cauſam eſſe deprehendi in parentibus, qui in domeſtica educatione ſuos ferè aut ipſi nimiâ indulgentiâ corrumpunt; aut ab aliis vel fatuitate vel inani ſcientiæ perſuaſione depravari, vel etiam nimiâ contumacia efferri ſinunt, antequam eos fidis & eruditis præceptoribus rectè & commodè inſtituendas committant. Eadem accedebant quotidiana & ubique obvia ſcelerum exempla

&

mala sodalitia,quibus præclara & optimæ
dolis ingenia flagitiosè à lurconibus istis
bulis & impuris corrumpi, non sine ma-
mo & acerbissimo dolore, multò equi-
:m sæpius quam expedit, videmus & de-
oramus. Præterea eorum quoque ser-
ionis, nescio quam laudandi, non rarò
.men inculcati, tùm recordabar: Qui
as rerum omnium confusiones & disci-
linæ interitum fato cuidam adscribunt.
)uod ipsum verum si esset; incassum pro-
:ctò hæc omnis toties à multis suscepta
ſset cogitatio, eademque deinceps quo-
ue ridiculè à nobis susciperetur. De iis
nim, quæ fieri aut mutari non possunt,
iemo sapiens unquam deliberavit. Fri-
'olam autem ne dicam impiam esse hanc
llorum opinionem, cum multa alia, tum
mprimis non paucarum adhuc scholarum
›ptimè constitutarum, & honesta discipli-
ia, omnisque officii cultura florentium
:xempla manifestè convincunt. Nam ut
ilias nostris hominibus non ignotas silen-
:io prætercam; quid de Jesuitarum, quos
'ocant, scholis qualiscunque alias religio-
iis illæ sint, dicèmus? quæ profectò tàm
variis & tàm longè inter se dissitis in locis
pas-

passim constitutæ, non eam ubique disciplinæ severitatem, præceptorumque & auditorum in faciendis officiis scholasticis diligentiam & constantiam haberent; si omninò fatalis esset ista laxissimæ disciplinæ dissolutio. Quod enim isti in sua illa depravata religione hac in parte præstant & præstare possunt: Cur idipsum nos quoque, qui veræ religionis adminiculis abundamus, si modo id serio nobis curæ & cordi esset, efficere & præstare non possemus? Ego verò nos hac in parte non tàm fatalia quàm nostræ culpæ debita mala sustinere, non dubitaverim affirmare. Et etiamsi, ut dixi, neque parentes neque mala sodalitia extra culpam hic esse deprehendantur: tamen non minimas, imò vero potissimas hujus calamitatis causas penes gubernatorum scholasticorum πολυκοιρανίην, seu crebras Magistratuum mutationes, præceptorumque lentitudinem & incuriam, mirumque quoddam omnibus placendi studium esse crediderim: quibus sublatis illa quoque moderationem aliquam brevi essent consecutura. Hi autem in officio faciendo ipsi somnolenti, & in disciplinæ ratione nequaquam constantes & inter

ter se concordes cum sint: neque illa, ıæ officii sunt, eâ, quâ par erat fide & ıicitate expediri ab illis possunt: neque ·pravatæ educationi, aut perniciosis so-ılitiis finis, aut modus aliquis statui. Ac dentur mihi ii, qui aliquid ad hanc di-iplinæ instaurationem conferre debe-ant, quodammodo in quatruplici esse dif-:rentia. Invenias enim non paucos, qui ptima rempub. & literariam & civilem hac ı parte juvandi voluntate sint prædití, ui si quantum vellent, tantum etiam pos-:nt, præclarè admodum de nobis agere-ur. Sunt etiam, quibus facultas egregia ıon deesset; si modò constantem quo-jue & propositi tenacem voluntatem ei-lem adjungendam esse cogitarent. Alii ıeque volunt, aut si maximè vellent, non ɔossunt, ullam in partem in hac genere ·eipub. commodare, qui ob inscitiam & i-gnorantiam excusandi fortè essent; nisi laudabiles aliorum hac in parte conatus importunitate & protervià suâ ut pluri-mum impedirent. His accedunt alii, ii-que admodum, apud nos præsertim, pau-ci, qui voluntatem egregiam, cum volun-tate rem hanc utiliter peragendi simul ha-

beant

beant conjunctam. De quibus tantum, quantum argumenti ubertas & reipub. necessitas postulat, dicere in præsentia non est mihi propositum; Paucis igitur & quidem officii quo semestri hac functus sum ratione, hæc ulcera nostra, quod nemini publicarum utilitatum studioso, molestum aut grave esse potest, attingam, & ubi ea lateant, monstrabo: aliisque medicis, longè me peritioribus, curam ea aperiendi, expurgandi & sanandi relinquam: statim postea ad id, quod jàm mihi sumpsi, dicendi argumentum accessurus. Facere autem non possum, quin ante omnia majorum nostrorum fidem, publicæque Academiæ utilitatis amorem, & in omnibus officii partibus sedulo obeundis, easdemque ad posteritatem quoque transferendis industriam & ardorem magnoperè commendem. Statuta enim vetera, si quis vir bonus, & amore officii & honestatis non omninò destitutus accuratè evolvat, is non sine admiratione & voluptate quoque cognoscit, quibus illi artibus & institutis, ad eum, qui aliquamdiu fuit, florem, Academiam hanc nostram perducere & evehere sint conati. In hac enim primi illi & anti-

: virtutis ac fidei senes planè conspirasse
:r sese animadvertimus, ut post habitis
ratis utilitatibus & commodis, propriâ
: gloriola neglecta, tantum ea, quæ pu-
:è honorifica & salutaria essent, cura-
t; Ideoque ut Sallustius loquitur, mala-
n artium insolentes, labori, diligentiæ
:ontinentiæ, tanquam optimis & præstan-
imis artibus unicè incumbebant. Con-
rdia illis maxima erat, minima avaritia.
ges honestas & salutares ferendi & con-
vandi, iisdemque obedientiam præstan-
, studium planè indefessum. Non enim,
ıod passim fieri videmus, satis se Magi-
·atus & præceptorum officio functos esse
:istimabant, si juventuti leges certas, se-
ındum quas viveret, præscripsissent; ipsi
.terim, Achillis Horatiani instar, jura si-
i nata negarent: Sed ante omnia ope-
ım dederunt, ut ipsi inter se unanimi
:mpub. litterariam instaurandi, conservan-
i & ornandi studio inflammati, primò sibi
psi leges & statuta certa conficerent, qui-
ıus Rectoris, Promotoris, Decani, & sin-
;ulorum Doctorum Professorumque officia
:ontinerentur. In ea confecta jam non
:antùm ipsi jurabant, verùm ita etiam ac-
curatè

curatè & studiosè omnia & singula dispiciebant, ut quilibet nolens volens in suo munere abeundo sedulus esse cogeretur, cum certos quasi operarum inspectores & exactores haberet: & sicubi cessaret latere omninò aut impunè evadere non posset. Rectori certè ipsi, ut eâ quâ oportet, fide & integritate, sine personarum respectu omnia ageret, tanquam Ephorus apud Lacedæmonios, & Censor apud Romanos, adjunctus erat Promotor, quem vocant: Peculiari juramento & pœnâ ad hoc ipsum obligatus, ut non solum in omnium Collegarum, verùm ipsius quoque Rectoris actiones & officium aciem oculorum suorum intenderet: Et quemlibet nulla amicitiæ aut cujuscunque alterius necessitudinis aut conjunctionis, ratione habita, si aut negligenter aut perperam quid faceret, graviter & severè moneret, & contra officium delinquere non cessantem toti concilio secundùm statuta & leges, factum illius certò examinaturo & punituro, ad tempus legibus præstitutum sine mora indicaret, nisi ipse neglecti officii nomine secundum easdem leges mulctari sine ulla exceptione vellet. His igitur legum

n vinculis & ſtatutorum veterum can-
lis cum primo ſe ipſos & officium ſu-
majores noſtri anxiâ quadam curâ ſeriò
luſiſſent, & in eorum exſecutione inte-
: & incorruptè ipſi cumprimis jam ver-
entur: tum demum adoleſcentes quo-
e fidei ſuæ commiſſos rectius, commo-
ıs & facilius in officio potuerunt & etiam
acti ſunt continere. Jam verò poſtquam
gum illud legum & ſtatutorum veterum
propriis cervicibus ipſi excuſſimus: Et
ıod poſt mortem Joſuæ Iſraëlitas feciſſe
gimus, quilibet pro lubitu & arbitrio
o facit & omittit, quæ aut bona aut mala
dentur in oculis ſuis: Non mirum quo-
ıe eſt, maximam juventutis noſtræ par-
:m, eâ quâ videmus diſſolutione effre-
em, inſcitiâ agreſtem, licentiâ indomi-
ım, impietate flagitioſam, omnis officii
ıemoriam & curam tanquam rem ſe indi-
nam planè abjicere, legum edicta & Ma-
iſtratus auctoritatem cum ſupercilio quo-
iam contemnere, & ſtultis ac ſceleratis
upiditatibus ſuis liberrimè frenos laxare.
ed ut ad diſtinctionem illam meam, de
ıua paulò ante agebam, revertar: An
ıon multos quotidiè, viros alias ſatis bo-

nos, de hac disciplinæ laxatione conquerentes, conatumque aliquem, eam non nihil adstringendi ejusq; umbram qualemcunque conservandi, suspicientes, audimus & videmus ? Sed eorum aliqui neque ita eruditi & intelligentes sunt, neque ejus nominis & auctoritatis, ut id quod cupiunt perficere etiam possint. Reperias etiam ibidem nonnullos, ex veteris ignorantiæ latebris nondum planè eluctatos, qui tamen interim mirificè sibi placeant, atque ideò aliorum, & in disciplinæ & in studiorum ratione meliora monentium, voces ex alto despiciant, suasque illas glandes flori farinæ, ubique jam obvio, longissimè præferant. Usque adeò difficulter ἰσχυρογνώμονες illi possunt, quæ juvenes didicere, senes perdenda fateri. His proximi erant, quos dicebam posse quidem, sed non velle hac in parte constanter publicæ utilitatis causa elaborare. Quorum non paucos, verum quidem est, ita multiplicibus negotiis occupari, ut eô nomine excusationem mereri posse viderentur ; nisi & hæc facere oporteret & illa non omittere : Et nisi curæ istæ laboresque ipsorum privatam ferè potius quam publicam uti-

utilitatem ſpectarent. Privata autem publicis longiſſimè poſtponenda eſſe in ore, eſt omnium.

Utinam id quod dicitur, re ipſa quoque aliquo ſaltem modo præſtaretur: tum profectò hæc veteris diſciplinæ reſtitutio, non planè tanquam deſperata negligeretur; ſi præſertim ad curam hujus rei accederent, viri intelligentes ſimul & magnanimi, ſuamque mentem in publicas tantum reipubl. litterariæ utilitates defixam habentes, qui neque adulatorum blanditiis & ſuſurris, neque improborum calumniis aut obtrectationibus, neque patronorum licentiæ odio aut malevolentia, ab honeſto ſuo propoſito ſe paterentur dimoveri. Qui enim ſentinam iſtam & fecem reipubl. ſcholaſticæ nolunt ante omnia exhaurire, qui fucos ab apibus non audent ſejungere, qui neminem ex collegis aut aliis volunt offendere, neminem punire; ſed de ſua lenitate, indulgentia & torpedine potius, quam de amore diſciplinæ, de juſtitia & ſeveritate apud adoleſcentulos ſui admiratores & alios gloriari: Illi ad hoc de quo agimus efficiendum, minimè ſunt idonei. Neque eſt,

quod ii, qui maximis in dignitatibus sunt collocati & laborum suorum præmia percipiunt amplissima, rem hanc, ut unicè necessariam, ita maximè quoque difficilem & juventuti exosam, ad solos Philosophiæ doctores velint rejicere. Æque enim illi atque hi, id quod officium postulat, facere tenentur. Æque in honorem & emolumenta Academiæ jurarunt: Æque neglecti officii rationes gravissimas, justissimo judici reddere aliquando cogentur. Venio nunc ad eos, quos neque velle neque etiam posse quicquam in hoc genere manifestum est: Quorum plerique ipsi ab ineunte ætate vel indulgentiâ parentum infatuati, vel à pædagogis indoctis & arrogantibus magna mercede ut nihil saperent, instituti, ita paulatim adoleverunt, ut neque quid disciplina honesta aut litteræ humaniores essent, unquam possent animadvertere, multò minus his viis ad veram & salutarem eruditionem pervenire. Hi postea nihilominus publicis officiis & functionibus, sicuti vulgò fit, adhibiti, ut nullos se doctiores & meliores, plerosque autem omnes sui quam simillimos, aut etiam deteriores efficiant;

à

à disciplina & optimarum artium studiis intempestivè admodùm adolescentulos ad altiora abducunt: omnia quæ astringunt alii, ipsi relaxant: De collegarum severitate apud discipulos conqueruntur, & inepti Clitiphonis Terentiani instar, multò se, cum iisdem officiis fungerentur, aut leniores jam fuisse, aut certè, si quando iis adhibeantur, multò placabiliores esse futuros, impudenter clamitant. Miserrimi certè homunciones, qui nec umbram officii ullam unquàm viderint, nec gustum ullum veræ laudis & eruditionis unquam perceperint. At quantò his & præstantiores & meliores sunt ii, quos quarto loco paulò antè commemorabam: nimirum qui ab ineunte ætate domestica & scholastica disciplina ad veræ virtutis & eruditionis studium assuefacti, & ad easdem feliciter perducti; ideam illam seu imaginem veteris disciplinæ & studiorum suorum constanter adhuc animo circumferunt, & ardore quodam juvandi rempubl. inflammati, ad eundem modum alios quoque suæ informationi commissos ad metam optatam volunt, & nisi ab aliis impediantur, Deo juvante possunt per-

 du-

ducere. Quorum in numero, qui admodum exiguus, ut sunt omnia præclara, semper fuit, non immeritò, imò justissimè & maxima sua cum laude omniumque honestorum virorum approbatione nomen suum profiteri poterit Vir optimus & doctissimus, & olim honestæ disciplinæ in hac Academia instaurator & vindex, ARNOLDUS BURENIUS. Cujus ego tum sæpè alias, tum verè quotiescunque apud Plautum Comicum lepidissimum lego verba illa, quæ in Bacchidibus Lydo cuidam, petulantis & indulgentia paterná, corrupti adolescentis pædagogo, de laxissima ejus ætatis disciplina conquerenti, eamque cum veterum severitate conferenti, attribuit, soleo recordari. Eodem enim modo vir aliquis cordatus hujus juventutis, dissolutionem & ferociam, cum illius, quæ tum fuit, continentia & modestia conferens, his verbis parentes & præceptores parum sui officii memores posset compellare:

Heus tu, qui pro tam corrupto dicis causam filio
Eademne erat hæc disciplina cum tu adolescens eras!

Nego

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocres pœnas penderes.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pilâ,
Saliendo se exercebant magis, quam scorto aut suaviis.
Indè de hippodromo & palæstra ubi revenisses domum,
Cinctilo præcinctus in sella apud Magistratum assideres,
Tum librum legeres: si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tàm maculosum, quam est nutricis pallium.
At nunc priusquam septuennis est, si eum attingas manu
Ex templo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput,
Cum patrem adeas postulatum; puero sic dicit pater,
Noster esto: dum te poteris defensore injuria.

Provocatur pædagogus. Eho senex minimi precii,
Ne attingas puerum istâ causâ quando fecit strenuè.
It magister quasi lucerna uncto expletus linteo,
Itur illinc jure dicto : isthoccine pacto potest
Inbibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?

His inquam & similibus verbis vir aliquis gravis & cordatus nostræ ætatis parentes & magistros posset compellare : Meminerunt enim nonnulli ex iis quoque, qui hic præsentes sunt , quanta temporibus Burenianis in plerisque adolescentibus fuerit præceptorum observantia : in omnibus sui officii partibus sedulitas : Cum quodam prolubio conjuncta obedientia : discendi & proficiendi, magistrisque gratificandi mira cupiditas : in admonitionibus denique & objurgationibus perferendis insignis patientia. Quibus cum si quis nostræ juventutis, quos paulò ante quoque attigi mores indomitos & vivendi rationem planè dissolutam (imprimisque spiritum istum efferum & barbaricum, qui jam non mo-

modò in dictis factisque ætatis istius florentis, verùm etiam in vultu, oculis, oratione, vestitu, incessu, omnibusque adeò totius corporis gestibus se prodit) comparaverit; profectò omnia illa aut jam exulare, aut saltem sine re nomina inania esse, meritò affirmarit. Cum autem laudabilis in plerisque omnibus tàm patriis quam exteris Academiis consuetudo sit, ut quilibet sui ordinis & professionis viros præstantes etiam post mortem celebret: non abs re facturum me existimavi, si hoc tempore, quo publicè aliquid dicendi necessitas mihi imponitur, potissimum de ARNOLDO BURENIO orationem haberem. Non enim solum bonarum litterarum Professor primarius in hac Academia fuit Burenius: Verùm iis quoque, quæ à bono & fideli præceptore proficisci possunt, beneficiis, peculiari modo mihi ipsi est devinctus; ut sine crimine animi ingrati, quod omnium criminum maximè detestabile est, id ipsum honestè negligere non possim. Feci autem id eò quoque libentius, quod existimarem meam hanc qualemcunque oratiunculam, aliis Burenii discipulis, longè me eloquentioribus, incitamento

fore, ut in præceptoris sui vitam accuratius inquirerent, ejusque laudes encomiis uberioribus persequerentur. Idque ut faciant majorem in modum peto. Interea, dum melius aliquid & splendidius illi elaborent: Vestrum erit, tenuitatem hanc meam boni consulere: & mihi de viro optimo optimeque de hac schola merito, dicenti, animis æquis & benevolis auscultare.

In patria autem & parentibus Burenii commemorandis prolixus non ero, quod ii facere consueverunt, qui laudandos sibi sumserunt viros propriâ virtute minus illustres. Eorum enim genus & proavos, & quæ ipsi non fecerunt, tanquam propria sint aliundè mutuantur; atque ita fuco quodam auditoribus suis imponunt. Sicuti enim parum refert quales majores tui fuerint, si ipse nullius sis precii: ita non magni interest, quibus majoribus editus sis, si modo ipse virtute præ aliis mortalibus excellas.

Ἀνδραγαθίας enim non πατραγαθίας rationem habendam, rex Antigonus monebat. Et Euripidi is nobilis esse videtur, qui justitia & aliis virtutibus conspicuus

cuus ſit ; eum verò qui iisdem deſtituatur, ignobilem cenſet, licet à patre etiam quàm ipſe Jupiter ſit meliore, genus ſuum deducat. Idem alibi homines natura fortes & juſtos, quamvis è ſervis natos nobiliores eſſe ducit, quam ignavos & injuſtos, inani avitæ nobilitatis gloria turgidos. Quæ omnia non ideò commemoro, ut vel generis antiquitatem & ſplendorem in viris nobilibus & generoſis extenuem; vel familiam è qua Burenius noſter natus eſt, nimis aut obſcuram aut objectam fuiſſe arguam. Scio enim generis nobilitatem eximium virtutis ornamentum eſſe: & parentes Burenii id vitæ genus notum eſſe coluiſſe, quo nihil melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius eſſe Cicero aſſeruit: qui ipſe alibi eandem vitam *parſimoniæ, diligentiæ & juſtitiæ magiſtram* non dubitavit.

Etenim parens Burenii Themhardus agricola peritus & induſtrius fuit, (olim autem, quod ex Catone liquet, quem ita laudaſſent, ampliſſimè laudaſſe exiſtimabant) is villam ſuam benè ædificatam habuit in agro Angrivariorum, jam præ-

ſuli

ſuli Monaſterienſi ſubjecto, cui vicinum eſt oppidulum Burenum, in quo ſacra frequentare, & ſi quæ opus eſſent coëmere parentes Burenii ſolebant, à quo ipſo oppidulo, tanquam fundo natali maximè vicino, Arnoldus noſter cognomen ſuum eſt conſecutus. Natus eſt autem anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo, octogeſimo quinto, circiter Calend. Febr. quo ipſo die ante annos viginti ſex Suinfurti in Franconia natus erat primus Germaniæ poëta Conradus Celtes, ab ipſo Friderico Imperatore lauro coronatus, qui poſt præcipuas Italiæ & Germaniæ Academias, perluſtratas, aliquamdiu in hac quoque ſchola commoratus eſſe perhibetur. Educatio Burenii procul dubio gravis, honeſta & ſobria; atque adeò generi vitæ conſentanea fuit. Hanc enim ſi parentes neglexiſſent, nequaquam ad eam doctrinæ & virtutis præſtantiam Burenius pervenire potuiſſet.

Sicuti igitur ſi ſplendidum aliquod ædificium contempleris; non dubitas architectum quempiam induſtrium fuiſſe, qui prima ejus jecerit fundamenta, quibus tota reliqua moles tuto inniteretur: Aut

Aut ſicuti hortos vel agros fructibus uberes intuens, certò ſtatuere potes, hortulanum aut villicum aliquem eis operam & laborem culturæ ſuæ impendiſſe: ita etiam cum virum aliquem virtute & eruditione præ aliis conſpicuum, qualis fuit Burenius, cognoſcimus; ambigere minus debemus, quin à teneris ſtatim unguiculis ad laudabilem vivendi rationem à parentibus aut aliis ſit traductus. Educatione enim, quæ veræ virtutis & ſapientiæ fundamentum eſt, neglectâ, de omni virtutis & doctrinæ excellentia omninò eſt deſperandum. Accurata igitur educatione & domeſtica diſciplina ad virtutem & diligentiam aſſuefactus adoleſcentulus Burenius, tandem tribus fratribus & ſorore una domi relicta, primò in ſcholam Suollenſem, deindè Monaſterienſem, quæ tum inter florentiſſimas non poſtrema cenſebantur, ſe contulit, ibique prima linguarum & artium elementa, quibus ætas illa ad humanitatem informari ſolet, ita cupidè imbibit: ut ingenioſiſſimos quoque condiſcipulos facilè æquaret: eorumque multos longiſſimo poſt ſe intervallo paulatim relinqueret. Erat enim corpore ſatis

tis firmo, robusto & laborum patiente Burenius, eoque nec in extraordinariam proceritatem elato ; nec ad nimiam humilitatem depresso : neque etiam nimis gracili aut pinguedine supra modum deformi : sed inter utrumque statura ejus medium obtinebat. Ingenium peracre erat & probum : memoria fidelis & prompta : quam etiam ætate ingravescente Burenium non deseruisse meminimus, cum quæ doceret, omnia memoriter pronunciare soleret. Animus ipse ad pietatem, gravitatem, temperantiam, verecundiam, moderationem, prudentiam & imprimis ἠθικόν illud, quod tantopere commendant, factus videbatur. Quo circa minimè mirum est, si & præceptoribus & condiscipulis quam charissimus fuisse perhibeatur.

Cum ergò primarum artium & linguarum fundamenta hoc modo feliciter jecisset Burenius : & judicio jam esset confirmatiori ; de vitæ genere deligendo maturè secum cœpit deliberare. In qua ipsa consultatione, pro ingenii sui solertia, probè procul dubio animadvertit, ad opes & honores contendentibus jurisprudentiam

tiam ferè viam ſternere : Artem quoque medicam benè cognitam & feliciter exercitatam infructuoſam non eſſe. Sed tamen hujus cum alienis miſeriis perpetuò conflictantis moleſtias ; illius quæ ſui ferè juris nunquam eſt, dubium in maxima fortunæ inconſtantia ſplendorem ; utriusque autem, ſicuti jam ferè exercentur μικροπρέπειαν καὶ ἀνελευθερίαν conſiderans: ſatius eſſe exiſtimavit, mediocritate ſua contentum, intra philoſophiæ metas ſe continere : quam vel lucri cauſa linguam & calamum venalem habere : & ad alterius quaſi nutum ſemper vivere : & interim maximis vitæ fortunarumque periculis expoſitum nunquam ſibi ipſi & neceſſitatibus ſuis poſſe vacare. Non defuerunt procul dubio eo ipſo tempore homines animi puſilli & anguſti, qui lucro omnium rerum precia æſtimantes, illud nobiliſſimi Poëtæ Hetruſci, aut aliquid huic ſimile Burenio occinuerunt :

Quid Sophiam ſequeris nudam & rerum omnium egenam?
Tam rarò tritum cur pede carpis iter?

Quin

Quin potiùs, quo turba ruunt, pete lucra & honores
Omnia, qui nummos est modo nactus, habet.

Quibus tamen generosus Burenii animus minimè fractus est, sed quo pauciores hujus itineris socios habere se animadverterit, eo se voti compotem majorem gloriam consecuturum esse prævidebat. Ideoque quantò vehementius illi instarent; tantò ipse studiosius & constantius honestissimum hoc propositum suum sibi urgendum esse statuebat. Certò sibi persuadens, nobiliores esse eas artes, quæ sapientiæ, virtuti, honestæ institutioni, vitæque & morum emendationi inservirent: quæque suam excellentiam magis in rei veritate, quàm in opinione vulgi sitam haberent: quàm eos, quæ vel in bonis corporis tuendis, vel dirimendis litibus, pecuniæ & aliarum fortunæ bonorum fugacium causa exortis, occupatæ, primum præ aliis locum, quo jure quave injuria sibi vendicarent.

Hoc igitur tam honorifico de bonis literis & studiis philosophicis judicio concepto Burenius, majori etiam animi ingeniique con-

contentione iisdem sibi statuit invigilandum. Ideoque anno Christi millesimo quingentesimo octavo, ætatis verò suæ vigesimo tertio, in Academiam Wittebergensem sexennio ante à Friderico Saxoniæ septemviro primum fundatam, & paulatim jam præ cœteris efflorescentem sese contulit: ibique totos quindecim annos ferè continuè est commoratus; eosque in studiis & virtute progressus fecit; ita vitam & mores suos omnibus viris honestis probavit: ut non solum Luthero veræ religionis instauratori carus esset; verùm etiam ad interiorem & domesticam Philippi Melanchthonis consuetudinem aditum sibi patefaceret. Et quidem Melanchthoni, ingeniorum & morum censori acerrimo, ita perspectus & probatus fuit Burenius, ut cum anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto optimus & beneficentissimus Princeps Megapolitanus Henricus quem, Pacificatórem honestissimo sanè cognomine appellant, generosissimæ indolis filio suo Magno magistrum & custodem inquireret; præter cœteros Burenius is esse visus sit, cui tantum ingenium erudiendum informandumque rectè committere-

tur. Commendatus igitur illustrissimo Principi Henrico, in aulam ejus venit Burenius, annum tum agens trigesimum nonum. Et sicuti Phœnix Achillem, ita ipse Magnum illum alumnum suum paulatim instituit, verborum orator rerumque effector ut esset. Neque enim Latinam solùm Græcamque linguam principem ingeniosissimum docuit: in quarum qualicunque intellectu summa eruditio posita esse, falsò existimatur: Sed illis eas quoque philosophiæ partes, quæ bonum virum & principem πολιτικὸν καὶ βασιλικὸν informant & perficiunt, ex auctoribus optimis & vetustissimis adjunxit. Quâ institutione, Deo conatus præceptoris fidelissimi fortunante, factum tandem est, ut ad eam præstantiam princeps Magnus perveniret: ut inter omnes ejus ætatis Germaniæ principes doctrinæ & eloquentiæ laude paucissimos ei conferre, anteponere possent neminem. Sicuti igitur Nathani, vati inter Ebræos non ignobili, jam tùm temporis, & nunc etiam ad omnem posteritatem gloriosum est, quod adolescentis Salomonis, unius omnium mortalium regis sapientissimi præceptor fuerit, eique etiam jussu patris

tris

tris regiam coronam imposuerit : ita etiam Burenio nostro vivo & mortuo perhonorificum est, tam eximium & singularem disciplinæ suæ alumnum huic provinciæ informasse. O felices populos Megapolitanos, si hoc tanto bono, singulari Dei beneficio, operâ tum Burenii concesso, diutius vobis frui licuisset! Verùm ut optima quæque minimè diuturna esse consueverunt : ita ille quoque sapientissimus & patriæ carissimus Princeps, in ipso flore ætatis suæ, sub extremam Patris optimi caniciem, est extinctus : Neque minus Patriæ universæ, quam parenti jam senio confecto, qui biennio post statim filium secutus est, sui desiderium reliquit.

Antequam tamen aulâ Henrici Ducis Megapolitani excederet, effecerat jam, sicuti revera magis publicarum quàm privatarum utilitatum studiosus erat Burenius, ut spes aliqua instaurationis huic Academiæ, aliquamdiu planè tam à docentibus quam à discentibus desertæ, affulgeret. Cum enim anno Christi millesimo quingentesimo decimo octavo horribili peste schola hæc nostra dissiparetur: eoque ipso tempore in Academia Wittebergensi Lutherus Pontificis in-

dulgentias, quas vocant, venales cœpiſſet carpere: & in vicino Francofordienſi gymnaſio Conradus Wimpina Luthero ſe opponeret: adoleſcentes, quod ferè fit, novitatis ſtudioſi, potiſſimum in duas iſtas tum recens fundatas academias ſe conferebant. Quo circa factum eſt, ut hic toto penè decennio exigua admodum frequentia, quin aliquamdiu etiam mera ſolitudo eſſet. Hac clade perſpecta Burenius, utpote qui quanto theſauro & ornamento Megapolitana regio ſpoliata eſſet, unus præ aliis rectiſſimè intelligeret: hortari cœpit illuſtriſſimum Principem Magnum diſciplinæ ſuæ alumnum, ipſumque adeò patrem ſui principis Henricum, ut aliquam cogitationem & curam reſtituendæ hujus Academiæ, ſuſciperent. Et ne virorum benè doctorum & præſtantium, quorum revera omnibus ætatibus exiguus admodum numerus fuit, inopiam aulici fortè poſſent prætendere: atque ita inſtitutum hoc laudatiſſimorum principum impedire: Ipſe Burenius, cujus doctrina, fides, gravitas & integritas toto jam ſexennio & principibus, & aulæ, & toti provinciæ ſatis innotuerat; ipſe inquam pollicetur illuſtriſ-

ſimis

ſimis Ducibus Megapolitanis, ſe, ſi velint, in Academiam hanc planè tum collapſam, commigraturum; ejusque, ſi quæ ex calamitoſo naufragio reliquæ eſſent, tabulas collecturum eſſe.

Aſſentientibus igitur honeſtiſſimo huic propoſito optimis Principibus, relicta tandem aula, in hanc urbem venit Burenius, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo, ætatis verò ſuæ quadrageſimo quinto. Cumq; inveniſſet hic Academiam planè deſertam, neceſſariò privatas primò ſcholas habuit, donec mediocri paullatim multitudine iterum huc confluente, publicas quoque prælectiones poſſet inchoare. Eventus autem inſtituto huic Bureniano præclarè reſpondit. Ejus enim ſedulitate, induſtria, fide, & in docendo felicitate perſpectâ; cognitâ etiam diſciplinæ, ubique ferè jam tùm quoque labeſcentis ſeveritate: nullibi libentius quam apud Burenium, viri in vicinis regionibus & urbibus nobiles & primarii, præſertim ſi qui intelligentiores eſſent, inſtitui volebant. Tantum enim abeſt, ut gravis & conſtans diſciplina, frequentiam & florem ſcholarum imminuat: ut etiam uno hoc modo

potiſſimum creſcere & vigere deprehendantur. Quonam enim prudentes & honeſtos parentes magis cupidè liberos ſuos ablegare velle conſentaneum eſt ? quam ea in loca, de quibus conſtet, fore, ut ibi à malis ſodalitiis & licentia, quâ omnes deteriores ſumus, tuti, in officio contineantur: neque indè deteriores & indoctiores, (quod equidem multò quàm vellemus ſæpius videmus contingere) ſed potius meliores eruditioresque ad ſuos revertantur. Id quod tum temporis in ſcholis Burenii maximè fuit conſpicuum, ut honorificentiſſimum de eo Melanchthonis præſagium veriſſimum fuiſſe experientia confirmarit. Inter alia enim quæ publicè nonnunquam Arnoldo ſuo tribuit elogia, hoc quoque pro ingenii ſui perſpicacia Philippum Melanchthonem de Burenio dixiſſe ferunt, *Ubi Arnoldus ibi ſchola.* Quaſi diceret; nunquam ſcholam benè conſtitutam & florentem ei loco defuturam, in qua Arnoldus vivere, docere, & diſciplinæ præeſſe inſtituiſſet. Non enim vulgarem illum & ſophiſticum dicendi modum ſequebatur Burenius; ut vel propriæ eruditionis & eloquentiæ oſtentatione contentus, de profectu

fectu auditorum parum esset sollicitus: vel in hoc unum intentus esset, ut quâdam astutiâ & calliditate, cum garriendi audacia conjuncta, adolescentes omnis officii ignaros, & modestiæ expertes, imbueret: Sed hac in parte Socraticum quiddam senex optimus obtinebat. Non enim innocentissimus ille morum vitæque magister Socrates præpropere nimis urgebat, ut familiares & auditores sui vel splendidè dicendo, vel præclara facinora designando, vel etiam machinas tam bellicas, quam alias machinando præ cæteris subito excellerent, id, inquam, non præpropere urgebat Socrates: Sed ante hæc omnia σωφροσύνη, seu continentia, modestia & moderatione, cum prudentia viri boni conjuncta animos juvenum imbuendos esse, censebat. Etiamsi enim quis ipso Alcibiade rebus industriè gerendis præstantior, ipso denique Ulysse machinationibus excogitandis esset astutior: tamen si aurea illa σωφροσύνη destitueretur, tantò eum injustiorem & majori ad nocendum facultate armatum censebat; quanto vel eloquentia, vel rerum agendarum industria, vel machinarum omnis generis excogita-

tione, præstantior esse perhiberetur. Sunt enim hæc omnia eorum in bonorum numero, quorum usus anceps & ambiguus esse à viris intelligentibus, usu & experientia edoctis, affirmatur: Nimirum ut qui rectè eis uti norint, eis bona sint, qui non norint, mala.

Ut autem institutum hoc laudabile susciperet, inque eo constanter perseveraret Burenius, cum rei ipsius veritas, firmissimis nitens rationibus; tum verò eorum, qui diversum sequerentur damna & detrimenta publicè illata & accepta efficiebant. Viderat enim vir prudentissimus & quotidiè adhuc videbat, quam utiles ecclesiis & rebuspubl. essent oratores illi novi, stulti, adolescentuli, qui ab ineunte ætate nulla disciplina domiti, nulla laudabili doctrina & assuefactione in usus vitæ humanæ exculti, nulla affectuum & cupiditatum moderatione mitigati: sed tantum dono impudentiæ & loquacitatis armati, subitò, tanquam fungi una nocte pileati, ad functiones publicas, magno cum impetu & supercilio erumperent, & paulatim stultæ plebeculæ concursu & admiratione inflati, rebus novis studerent; sæpè non necessa-

ria molirentur: alios longè ſe prudentiores oppugnarent: atque pro ſententiis ſæpè etiam falſiſſimis ita impotenter pugnarent; ut vel cœlum terræ miſcere, vel patriam, rempubl, eccleſiam & ſcholas evertere mallent & peſſundare; quam ab opinione ſemel animo concepta vel latum unguem declinare. Hos, inquam, σωφροσύνης in prima ætate neglectæ fructus eſſe, & ex hac una veluti ſcaturigine omnes turbas, contentiones, jurgia, imò miſerias & calamitates eccleſiarum, ſcholarum & rerumpubl. pleraſque omnes oriri, Burenius exactiſſimè intelligebat. Ideoque, ut quantum in ſe eſſet, obviam huic malo iret; adoleſcentes fidei ſuæ commiſſos gravi admodum & ſevera diſciplina in officio continebat; non ſolum ut hoc modo ſpiritus & impetus illorum frangeret: Verùm etiam ut ad obedientiam à prima ætate aſſuefacti, moderatius poſtea de ſe ipſis ſentirent, aliis mitius imperarent: & in omni vita ſophroſynen illam ſibi proponerent colendam. Fieri enim non poteſt, ut is laudabiliter alios regat, qui ipſe nulli unquam didicit parere. Ejus vero conſilii ſui rationes ex optimis au-

ctoribus Cicerone & Aristotele illis insinuabat: & quid aliquando ex obtemperatione hac utilitatis & ex contumacia incommodi percepturi essent, jam tum præmonebat. Ingenui & tractabiles qui erant, eos amicè admodum complectebatur, illisque quasi stimulis adhibitis ad strenuè pergendum incitabat, degeneres autem & refractarios, si rationibus non posset, jam objurgationibus, jam minis, nonnunquam etiam plagis adhibitis meliores efficere conabatur. Et ut res eò felicius succederet, neve vel otii ignavi, vel compotationum, vel malorum sodalitiorum occasiones haberent; ipse discipulis suis dies noctesque, tanquam custos & exactor operarum incorruptissimus, perpetuò aderat: & quod boni patrisfamilias esse Aristoteles in Oeconomicis dicit, ipse primus omnium mane surgebat, postremus vesperi cubitum ibat: primo diluculo, signo dato, ad ordinarios studiorum labores simul omnes excitabat: somnolentis deindè & ignavis molestus esse non desinebat, priusquam ad officium eos compulisset. Non rarò etiam, quandò vel lectiones repetendæ, vel stylus exercendus esset;

esset; fores collegii Aquilæ ita claudere solebat; ut exitus indè nemini pateret: atque ita evagandi & discurrendi licentia omnibus adimeretur. Post cœnam, non, quod jam ferè faciunt, in multam noctem poculis indulgere, aut cauponas invisere suos sinebat; sed eos maturè domi esse jubebat. Et ut scire posset, quos sibi obtemperantes, quos immorigeros haberet: semper, sine ulla exceptione, duobus mensibus æstivis Junio & Julio, hora nona, reliquis verò omnibus, sivè æstivi sivè hiberni essent, in puncto octavæ fores Collegii sui occludebat, ac tum ostiatim circumiens, in singulos nominatim inquirebat: absentesque accuratè observabat: censuræ & objurgationi postridianæ certissimè subjiciendos. Itá quoque sobriè & accuratè ipse vivebat: ita se ipsum & mores suos, quo discipulis exemplo essent, conformabat: ut in omni virtutis & humanitatis officio, Philosophiam habuisse videretur non dicendi magistram, sed faciendi. Non defuerunt equidem iis quoque temporibus homines sceleratè effrenes & impuri, qui alios, sui quam similimos (hæc enim natura est improbitatis) esse cuperent:

rent: & qui paſſim clamitarent, non eſſe hanc veram liberam Academiam, ſed bacchantium (ut jam quoque de domibus, in quibus umbra aliqua veteris diſciplinæ reliqua eſt, loquuntur) ergaſtulum & carnificinam. Et etiamſi his quaſi lenociniis nonnulli à diſciplina Burenii alieniores facti, in licentiæ & libidinum tabernas nonnunquam traduci ſe paterentur: tamen Burenius in honeſto ſuo propoſito conſtanter perſeveravit, & perſeverare etiam potuit, cum collegas tum & paucos admodum, & ſibi ὁμόφρονι θύμῳ conjunctiſſimos haberet. Semper enim paucis facilior eſt gravis & honeſtæ diſciplinæ adminiſtratio; quam multis & inter ſe ipſos diſſidentibus. Cum videlicet inter ipſos collegas quoque ſunt, qui improbitatis patrocinium ſuſcipiunt: diſcipulos contra præceptores fideles clanculum armant: atque ita quod hi magno cum labore vix tandem adſtrinxerunt; id ipſi, & quidem nullo negotio, relaxant: quod hi ædificarunt, id ipſi denuò malitioſè demoliuntur. De diſciplina vero ſcholæ Burenianæ, ne ſupra modum excreſcat oratio, nihil dicam amplius: cum gravi & luculenta

ta oratione, rationes sui consilii ipse publicè aperuerit: & sycophantarum calumnias egregiè refutarit. Quam quidem ipsam orationem tanti fecit Philippus Melanchthon, ut eam non solùm primo edendam insigni admodum & Burenio honorifica præfatione cohonestarit: verùm postea quoque, ut loco quasi illustriori collocata magis innotesceret, in quartum suarum declamationum tomum, ubi adhuc legitur, eandem curarit referendam. Quos verò auctores privatim & publicè explicare, & auditoribus suis unicè commendare soleret, non paucos ex collegis probè arbitror meminisse. Inprimis autem Ethicis Aristotelis, & libris officiorum Ciceronis delectabatur, quos plurimum ad vitam & mores hominum, ut ii & meliores & prudentiores fiant, excolendos, facere in confesso est. Et quidem liber Ethicorum Aristotelis Burenii, quem his diebus, in manibus habui, ita omnibus sui partibus tritus; ita glossematis breviusculis est repletus: ut possessoris in hunc librum amor, & in eo evolvendo diligentia & assiduitas ex eo facilè deprehendatur. His accedebant libri de legibus, de oratore, item

item Orationes & Epiſtolæ, & inprimis prolixa illa ad Quintum fratrem epiſtola, quâ omne boni, clementis & moderati gubernatoris officium eſt complexus. Orationes quoque in publicarum prælectionum, nuptiarum, funerum aut aliis ſolemnitatibus præclaras & non paucas habuit, quarum nonnullæ adhuc reliquæ ſunt; nonnullæ ab ingrato quodam ipſius diſcipulo compilatæ, fortè alicubi adhuc occultantur. Eæ verò ipſæ quæ ſuperſunt, quamvis & breves admodum ſint, & numero non multæ, tamen ſi quis intelligens earum inventionem & elocutionem conſideret: fateri cogitur, minimè eas vulgares eſſe; ſed ſicuti gemmæ & uniones catillum molarem & ſaxa etiam ponderoſiſſima precio vincunt: ita has quantumvis breves, immenſa quoque multorum aliorum volumina bonitate & elegantia ſua ſuperare. Præter eam autem, quam modo dixi, orationem de diſciplina ſcholæ Roſtochienſis, in meas manus & conſpectum venit bella & inſignis oratio, quam in funere Henrici Ducis Megapolitani juſſus fuerat habere: ſed cum raucedine tum ipſi moleſtâ impediretur: editam poſtea orationem illuſtriſſi-

mo & optimo Principi Joanni Alberto exhibuit. Procul dubio etiam Ducem Magnum discipulum olim suum eodem post mortem honore affecit, quam tamen orationem, quantumvis accuratè inquirens, investigare nondum potui. Aliam tamen non minus insignem, non sine maxima voluptate nuper legi, quâ præsuli Monasteriensi auctor est, si optimè de suis subditis mereri, & verissimam sibi etiam à morte gloriam relinquere velit; ut ante omnia scholam benè constitutam in Angrivariis aperiri curet: & qualis ea esse debeat, ingeniosa quadam efformatione, πρόπλασμα & quasi specimen futuri operis exhibente, tanquam artifex præstans oculis legentium subjicit. Quod ipsum quoque opusculum, & quidem non immerito, insigni admodum ejusdem Melanchthonis procœmiô est cohonestatum, in quo inter alia, hoc quoque elogium, his ipsis quæ sequuntur verbis, Burenio suo vir optimus & doctissimus attribuit. *Laudanda est*, inquit, *omnium voluntas, qui animos hominum ad hanc cogitationem curamque excitant, & studia literarum accendunt. Fit autem hoc gravissimè & splendidissimè hac*

hac oratione Arnoldi Burenii, viri honesti, docti & eloquentis. Quare & boni voluntatem & consilium ejus probaturi sunt, & docti laudabunt orationis formam, copiam & splendorem. Scio in Arnoldo ingenium esse ad virtutem ac decus & ad maximarum artium studia natura incitatum: scio mores esse honestissimos, & officii plenos: & magnam doctrinæ copiam ac varietatem: ac propter hæc ornamenta cum & diligo & veneror: sed ad has virtutes magnum decus accedit, quod eloquentiam suam confert ad Ecclesiæ utilitatem. Hæc igitur tum de suo Burenio Philippus.

His posterius accessit gravis & accuratè elaborata oratio, ipsa quoque Wittebergæ jussu Melanchthonis impressa (nam alias non facilè quidquam suorum edi Burenius concedebat) qua oratione illustrissimo nostro Principi Udalrico, hujus Academiæ Cancellario, & nutritori benignissimo gratulatur, deducta in matrimonium clarissima Principe nostra Elisabetha, cujus heroinæ pietatem, prudentiam, pudicitiam, & alias virtutes multiplices in eadem oratione penicillo quasi ingenii sui luculenrer expressit. Faxit

xit Deus, ut horum optimorum Principum tutela & patrocinio frui nobis quam diutissimè liceat! Commentarios etiam in plerasque orationes & alios quosdam M. Tullii libros conscripserat; qui ipsi quoque cum reliquis ejus libris optimis & præcipuis, virorumque clarissimorum hinc indè ad Burenium missis, & ab eo diligenter asservatis epistolis, eandem fortunam sunt expertæ.

Cum enim à laboribus docendi adversa valetudine aliquamdiu avocaretur, ita ut domi manere, & à collegio Aquilæ, ubi bibliothecam & museum suum habebat, satis diu abstinere cogeretur: nec tamen de sanitate recuperanda ita desperaret, quin ad labores officii sui, quod unicè expetebat, aliquando rediturum se esse, arbitraretur: ut bibliotheca sua loco moveretur concedere noluit. Hac occasione oblata, discipulus quidam ejus domesticus, homo sceleratè ingratus, furtim museum Burenianum ingressus, omnia quæ ibi optima inveniret abstulit, & hæredibus pulpita & pluteos penè inanes & vacuos reliquit. Quod quantum dolorem optimo & benè merito seni, si modo re-

ſcivit, attulerit; rectiſſimè ii intelligunt, qui librorum minimè vulgarium, & monumentorum ſibi chariſſimorum, amicè cum aliis communicatorum, eodem modo jacturam ſubindè patiuntur. Non enim etiamnum ejus generis Laverniones deſunt, qui hanc præceptoribus, optimè de ſe mereri cupientibus, ingratiſſimam referant gratiam. Inter alia ſua κειμήλια cumprimis habuerat Burenius faſciculum ſatis grandem, numeroſas admodum Philippi Melanchthonis ad ſe epiſtolas continentem, qui ipſe etiam in furtiva illa compilatione evanuit. Duæ tantum in bibliothecæ reliquiis ejus generis epiſtolæ repertæ ſunt, quarum alteram in aulam tum recens profecto Burenio miſit Philippus: alteram ſcripſit Calendis Februarii anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, cum ille integrum jam triennium ſcholas in hac urbe habuiſſet. Quia autem epiſtola illa Melanchthonis planè elegans eſt, & ſingularibus erga Burenium amoris & benevolentiæ notis inſignis; atque adeò ex tanta epiſtolarum copia una quaſi ſuperſtes eſt: facere non poſſum, quin ejus partem aliquam huic narrationi inſeram, eamque quan-

tum

tum in me est, deinceps ab interitu studeam conservare. Verba igitur suavissimæ epistolæ, cujus epigraphe *virum optimum*, Burenium appellat, hæc sunt: *Quod rarius ad te scribo, Arnolde optime, quidvis potius in causa esse velim putes, quàm oblivionem tui erga me amoris, atque officiorum tuorum. Ego verò mi Arnolde, incredibili desiderio tui afficior, quoties suavitatis ac doctrinæ tuæ mihi venit in mentem; ac sæpè fortunam utriusque accusare soleo, quod non licet nobis amicitiâ nostrâ coram frui, nunc præsertim, & cum oblectationem ex studiis majorem capere possemus; & plusculum opis offerre reip. literariæ: postquam & tu veteris philosophiæ studio flagras; & ego me planè in hoc ipsum doctrinæ genus abdere constitui. Nullam ingravescenti ætati jucundiorem miseriarum levationem reperio. Itaque scribimus jam* Φυσικὴν, *quæ non solum illas usitatas scholarum præceptiunculas contineat; sed sit referta eruditiss. disputationibus, sumptis cum ex Galeno, tum ex aliis literis, quæ & ad multas vitæ partes prosunt; & benè institutis ingeniis pariunt voluptates suavissimas. Sed hæc aliàs copiosius. Redeo jam*

ad epistolæ caput, πειράσω προσέλκειν σε πόθε πρὸς ἡμεδαποὺς, εἰ τύχοι. *Cæterùm ego ipse mihi etiam latebras quæro, atque utinam una possemus alicubi commodè latitare. Benè ac feliciter vale.* Hæc igitur tum Philippus Burenio. Cui etiam, annis satis multis interjectis, libellum suum ethicum insigni admodum præfatione opusculo illi præfixa, in veri & sinceri amoris, etiam ad posteros, duraturum testimonium voluit consecrare. Qui quidem honor, quamvis in hoc seculi undiquaque scripturientis pruritu non magnus esse videatur; cum jàm obstreperis istis dedicationibus nihil ferè sit vulgarius; nihil viris moderatis & intelligentibus magis exosum: tamen si & scriptoris auctoritatem, & sincerum affectum, & muneris ipsius bonitatem consideremus; non possumus non statuere, dedicationem istam Burenio & vivo jam honorificam extitisse; eidemque etiam mortuo ad omnem posteritatem gloriosam esse futuram. Præsertim apud eos, qui ingenia excellentia ab inverecundis discernere, & quid distent æra lupinis possunt dijudicare. Titulum Magisterii philosophici ætate jam admodum profecta (neque enim tum,

tum, quod jam fit, amplissimo hoc titulo pueros insignire leges sinebant) petiit Burenius: non quod ex eo plusculum suæ virtuti & doctrinæ honoris & ornamenti accessurum arbitraretur; ipsis enim ejus solemnitatis arbitris & doctior jam erat & clarior: sed ut consuetudinibus academicis modestè obtemperaret; suoque exemplo ad præceptorum reverentiam, & honesta eorum testimonia merito suo consequendi studium, juventutem invitaret. Anno igitur millesimo quingentesimo trigesimo nono, die vigesimo sexto Martii, ætatis verò suæ anno quinquagesimo quarto, bonarum artium Magister in nostra hac Academia, & forte in hac ipsa cathedra pronunciatus est Arnoldus Burenius, ab Engberto Harlemo, tum collegii Philosophici antistite, ita quidem, ut præ aliis omnibus primum locum haberet Burenius: ultimum verò Henricus Arsenius, quem studiis invigilantem, unum hominem agentem, commodantem quibus posset, nocentem nemini, atque adeò in extrema quoque senectute satis valentem commodè, multos etiam ex adolescentioribus hic vidisse minime dubito.

Eodem anno Burenius uxorem suam Annam, matronam lectissimam, & honesti civis Johannis Schroteri filiam legitimo matrimonio sibi conjunxit, cum qua amantissimè & suavissimè vixit annos viginti septem. Florentem enim ætatem rectius Musarum & Philosophiæ amoribus, suo quodam judicio & procul dubio non sine causis certis maluit impendere. Conjugium tamen etiam in illa παράκμῃ minimè ei contigit sterile; quod præter filium unum patri cognominem, in prima infantia extinctum, & filias jam pridem sepultas; tres ejus filiæ, paternæ virtutis ac moderationis quasi imagines adhuc superstites, & primariis in hac republ. adolescentibus nuptæ, è quibus etiam nepotes Burenio jam nati sunt, abundè testantur. Verùm vivos celebrare hoc quidem tempore non est mei instituti. Ad mortuos igitur revertor, in quibus facere non possum, quin probi illius viri, &, ut ea tempora ferebant, mathematici non ineruditi, Henrici Welpii Lingensis, Burenii popularis, faciam mentionem; qui paulò antequam uxorem duceret Burenius, ipse quoque bonarum artium magister recens in Wittebergensi

Gy-

Gymnasio declaratus, huc concesserat: Cum quo ita familiariter & conjunctè vixit Burenius, ut ferè alter ab alterius latere nunquam discederet. Eum autem sibi collegam in domo Aquilæ conjunxerat Arnoldus; ut ætate sua jam ingravescente, & prioribus laboribus sustinendis impari, tamen adolescentes suæ disciplinæ concrediti non negligerentur. Sicuti etiam aliquot annis interjectis filiam suam natu maximam, hac potissimum conditione Josepho Wurtzlero Professori Physico uxorem dare voluit: si is seriò sanctèque promitteret, se labores institutionis & gubernationis disciplinæ privatæ, in collegio Aquilæ, eodem quo ipse fecisset modo, deinceps subiturum & continuaturum esse. Sed de Welpio dicere cœperam, ejusque arctissimam & planè indissolubilem cum Burenio conjunctionem prædicare. Cujus dùm recordor, memini etiam fuisse tum temporis viros doctrinâ & judicio insignes, qui duos istos præstantes viros, inter vetera amicorum paria commemorare, eorumque perpetuam & summam conjunctionem maximo huic academiæ usui & ornamento esse, asserere non dubi-

 tarent.

tarent. Sicuti etiam auctor libelli, qui catalogum & historias præcipuarum in Europa Academiarum summatim complectitur, inter omnes alios tum Rostochiensis Scholæ professores, ipsum Burenium ornatissimum hujus Gymnasii ornamentum, & quidem verissimè dicere non erubuit. Quemadmodum autem omnibus ætatibus viris virtute & sapientiâ præ aliis eminentibus, æmuli quoque & obtrectatores sui non defuerunt: ita Burenio quoque à communi illa omnium conditione; nihil contigit præcipuum aut singulare. Cum enim Ciceronis & Aristotelis libros, ratione professionis suæ, perpetuò in manibus haberet, eosque quòd rectissimè atque adeò necessariò fit, juventuti accuratissimè commendatos sedulò admodum interpretaretur: non defuerunt, si Diis placet, religiosuli nonnulli, qui eum propterea minus honorificè de sacris literis sentire clamitarent. Quasi vero fieri non posset, ut suo tempore & loco sacra non negligerentur. Neque enim Ciceroni & Aristoteli suo ita affixus erat Burenius; ut interea libros sacros & animæ suæ salutem sibi statueret negligendam. Testantur id

id libri ipſius theologici, & inprimis prophetæ Regii Pſalterium Græcum, in quarto, ut vocant, typis grandiuſculis ab Aldo Manutio avo Venetiis impreſſum, quod quàm crebro ab eo & lectum & relectum ſit, & manuum & calamorum veſtigia adhuc reliqua cumulatè declarant. Eodem modo ſacra eum Biblia integrè evolviſſe, domeſtici illius teſtantur. Neque enim tam laborabat Burenius, ut pius & religioſus eſſe videretur. Id enim ab hypocriſi & ſuperſtitione parum abeſſe non ignorabat, quam ut revera talis eſſet. Ideoque etiamſi non palam & ad oſtentationem ſacra tractaret: tamen domi & intra parietes muſei ſui, & aliàs ubi ſolus eſſet, quod Redemptor quoque noſter præcipit faciendum, pietatis & precationum ſacrarum non obliviſcebatur. Imò ego ipſe, licet adoleſcentulus tum eſſem, quod hiſce meis auribus ex ore Burenii audivi, veriſſimè teſtari poſſum. Menſe enim quodam, ſi rectè memini, autumnali, cum manè duabus aut tribus ante lucem horis, à præceptore tum meo neſcio quô ablegatus, caſu forum hoc latinum tacitus & ſine ſtrepitu tranſirem; in Burenium ex a-

liquo ſatis longo intervallo incidi, ſub dio per tenebras nocturnas inambulantem, & clara diſtinctàque voce, quæ miram quandam animi intentionem ipſa pronunciatione indicaret, recitantem orationem, quam ab unico Doctore & Servatore noſtro traditam & acceptam, dominicam appellamus: cui mox pſalmos, & alia nonnulla ex ſacris memoriter ſubjungebat. Solum enim ſe eſſe arbitrabatur: & circumquaque nullorum adhuc lychnorum ardentium indicia conſpiciebantur. Quod ſi ſervus ille Terentianus, cum ex improviſo mulieri cuidam interveniſſet; eamque pudicam & ſedulam tùm inveniſſet: ex eo vel maximè ſciri potuiſſe aſſeverat, quo illa ſtudio alias quoque viro abſente vitam exigere ſoleret: quod ea res, cotidianæ vitæ conſuetudinem, quæ cujusque ingenium ut ſit maximè declarat, exiſtimandi copiam dediſſet: an non hic quoque, aut nusquam alibi, ſciri potuit, undè ſtudiorum & laborum ſuorum initium quotidiè facere Burenius ſoleret? cùm fortè illi ipſi, viri integerrimi reprehenſores, pridiana ſobrietate adhuc graves, tum temporis vel altum adhuc ſterterent: vel certè

tè non ita piè & devotè labores suos inchoarent. Pietatis profecto & sophrosynes ratione plurima suppetebant Burenio, quæ calumniatores isti ab eo, tanquam à sene, & præceptore suo merito potius discere debuissent, quam de eo innocente ita falsò impudenterque detrahere. Fuerunt etiam qui nescio quæ alia in Burenio desiderarent, qui tamen nec ingenio, nec eloquentia, nec pietate sincera, ullam in partem cum eo essent conferendi: quique plura & magis culpanda vel unico die ipsi designarent; quam quisquam in tota Burenii vita jure posset reprehendere. Quo ipso vituperationis modo, non tantum non imminui virorum præstantium gloriam; verùm etiam amplificari & confirmari solere omnes boni intelligunt. Discipulos certè Burenii, adultos jam, non paucos audivi, qui pro fideli institutione immortales illi gratias agerent. Vidi etiam qui ex animo dolerent, se eam quam meritò debuissent, præceptori fidelissimo obedientiam non præstitisse: quique etiam cum gemitu optarent, aureum illum florem ætatis, quem olim tàm nequiter neglexissent, restitui sibi posse. Inveniuntur enim

enim nostro quoque seculo non pauci, in quos Tibulli illud rectissimè quadret:

Vidi jam juvenem premeret cum serior ætas
Mœrentem stultos præteriisse dies.

Ex quo ipso conspicuum est, insuperabilem esse & indebilem bonorum & fidelium præceptorum gloriam, quæ etiamsi aliquamdiu premitur, aut obscuratur: tamen tandem Deo vindice, sæpè etiam post mortem, luce meridiana clarior enitescit, ipsiusque adeò improbitatis, sua propria conscientia convictæ, testimonio & prædicatione omni exceptione majori, cohonestatur. Hunc igitur cursum, constans in officio suo, tenuit Burenius, ad annum ætatis suæ circiter septuagesimum sextum, eo enim tempore incommoda senectutis aliquantò expressius conspici, ejusque vires paullatim imminui incipiebant. Quod ipsum quamvis per se grave esset: & ad hæc etiam nervorum resolutio postea accedens, debilitatem ipsius non parum augeret: tamen amicis & familiaribus de morbi doloribus nunquam, de officio autem suo, quod negligere cogeretur, sæpissimè conqueri solebat; Pruden-

dentius inter Christianos poëtas veteres facilè princeps, quodam in loco patientiam omnium reliquarum virtutum ornamentum, aut potius complementum & perfectionem esse judicat, quando dicit:

Et vidua est virtus quam non patientia firmat.

Hæc igitur ipsa quoque, ne maneas Burenii virtutes fuisse quis existimet, præsertim in morbo illius satis diuturno, admodum insignis & egregia eluxit: Dolores enim illos, profectò omni opinione acerbiores, non solùm citra omnem impatientiæ suspicionem; verùm etiam cum quadam animi & vultus quoque hilaritate pertulit: & amicis nonnunquam se invisentibus, & de valetudine percunctantibus, semper respondit: se Deo suo benignissimo pro tam leni & paterna castigatione ex animo gratias agere. Toto etiam illo invaletudinis suæ tempore assiduus admodum & ardens in precibus fuit: & quamdiu per imbecillitatem corporis potuit, libros sacros, & inprimis psalmos ipse accuratissimè evolvit. Postea cum per se non posset, in re eadem aliorum usus est operâ. Præcipuè autem delectari videbatur psalmo

mo trigesimo quarto, quo propheta regius celebrat providentiam & benignitatem Dei erga eos, qui ab hominibus deserti, & calamitatibus ac mœrore fracti ad ejus misericordiam supplices confugiunt. Item quinquagesimo primo, continente deprecationem hominis peccata sua verè agnoscentis, & sibi ea propter Christum unicum Servatorem condonari postulantis; Item centesimo tertio, quo suavissimè, plus quam paterna Dei erga genus humanum misericordia celebratur: eidemque pro beneficiis, quæ ille quotidiè in nos liberalissimè confert, singulares aguntur gratiæ. His accedebat caput Esaiæ quinquagesimum tertium, in quo ille non tanquam vates, sed ut αὐτόπτης supplicium & cruciatus Redemptoris nostri exponit, quem ait nostra scelera pro propriis agnovisse, eaque suo sanguine expiavisse, ut ejus vibicibus & vulneribus nos sanaremur. Cantionibus quoque vernaculis, maximè à Luthero compositis, mirificè afficiebatur, easque cùm filiabus libentissimè cantillabat. Inprimis verò, cum senis illius Simeonis, Christum Servatorem amplexu suo cupidissimè continentis, suavissimeque e-

un-

undem deosculantis hymnum, vel ipse caneret, vel alios canentes audiret; manibus in cœlum sublatis, & aliis quoque signis hilaritatem testantibus, satis indicabat, se ejusdem cum Simeone migrationis felicis percupidum esse. Quam quidem eum assiduè solitum meditari, illud quoque indicio esse potest, quod multis ante mortem annis ipse, aliàs à tali mercatura omnino alienissimus, asseres coëmit, è quibus sibi piè defuncto domestici urnam feralem, quod etiam factum est, confici curarent. Sex ante obitum septimanis continuè decubuit, sanâ tamen mente & animo sibi constante, ad extremum usque halitum præditus. Duobus aut tribus ante mortem diebus, quod per instantem jam agonem potissimum in silentio & spe fortitudinem suam existimaret, parum admodum locutus est. Ministro tamen Ecclesiæ, qui sub finem ipsi aderat, rogante, ut si sine incommodo suo posset, semel adhuc fidei suæ confessionem ederet, hilari vultu & voce, omnibus qui aderant audientibus, lingua vernacula respondit: se, ut antea, ita deinceps quoque, nomini Domini & Servatoris nostri

con-

conſtanter adhæſurum : atque ita paulò poſt optimus ille & doctiſſimus ſenex, de tota hac Academia & plurimorum ſtudiis præclarè meritus animam ſuam placidiſſimè exhalavit, anno Chriſti milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo ſexto, menſis Auguſti die decima ſexta, ætatis verò ſuæ, anno octogeſimo primo, quo ipſo die Pariſiis ante annos viginti ſex diem ſuum obierat Guilielmus Budæus, vir non Galliæ modo totius, ſed univerſæ etiam Europæ longè doctiſſimus, ſed cum noſtro tamen Burenio ſermonis puri candore & elegantiâ (Budæi enim ſtylus ferreus ab eruditis perhibetur) nequaquam comparandus. Exuviæ Burenii, diſcipulorum & popularium mœſtiſſimorum humeris, comitatu ſatis honeſto & frequenti, elatæ ſunt, in templum hujus urbis primarium, Matri ſemper virgini ſacrum, ubi in media ferè area, quæ eſt inter ſuggeſtum & portam templi meridionalem, concione prius funebri habita, in ſpem optatiſſimæ reſurrectionis, honorificè depoſitæ ſunt : &, donec animæ jam beatiſſimæ iterum conjungantur, placidè quieſcent.

Memoriam interim nominis clariſſimi,

mi, & meritorum, quibus plurimos in hac academia & alibi cumulavit, recordationem, nulla unquam delebit oblivio. Multo enim Burenio noſtro honeſtius, multo ad bonæ famæ & exiſtimationis perpetuitatem glorioſius eſt, quod plerique omnes, qui nunc in finitimis regionibus & urbibus ad eccleſiarum & rerumpubl. gubernacula, magna ſua cum laude, & aliorum, utilitate ſedent, ferè è ſchola & diſciplinà Burenii prodierunt : quam ſi vel bellator ſtrenuus multas cruentas ex hoſtibus victorias reportaſſet : vel Chriſtum & Religionem quæſtui, aut linguam, calamum, & leges venales habendo, maximas, ſuis opes & theſauros reliquiſſet. Præſul quidem ille Miſnenſis, quem annales ejus urbis, anno Chriſti milleſimo ſexageſimo ibidem Eccleſiæ profuiſſe memorant, haud dubiè in maximis ſuis divitiis magnopere ſibi placuit, cum monetæ quam ſacrarum litterarum & gregis ſibi commiſſi ſtudioſior, pecuniæ contemplandæ & numerandæ gratia, ſubindè in conclavi quodam domi ſe includeret ; eoque ſpectaculo ſolus, jucundè admodum frui ſoleret. Sed cum tandem aliquandò, poſt horrendos

L cla-

clamores, idem ille antiſtes, fractâ cervice, colore tetro & abominando, à miniſtris accurrentibus, auro ſuo incubans inventus eſt mortuus; tum demum exemplo ſuo ſanè terribili ſatis declaravit, quantoperè ἀπληςία illa à tali officio aliena eſſet: quantopere item Deo placeret: qualemque ad poſteros gloriam relinqueret. Jurisconſultus etiam ille Senenſis, in monumento marmoreo, quod Piſis in campo ſancto, quem vocant, ſibi vivus adhuc admodum magnificè extrui curavit, valdè ad poſteros honorificum ſibi fore eſt arbitratus, ſi in epitaphio ſuo, ſatis equidem ineptè gloriaretur, de mille & quingentis aureis coronatis, quos pro lectura, ut vocat, annua, præ aliis à republ. Florentina primus eſſet conſecutus. Beatum quoque ſe procul dubio exiſtimavit archiatrus ille Ludovici undecimi Regis Galliarum, de quo Cominæus ſcribit, eum decem aureorum millia menſtrui tantum ſtipendii loco à Rege ſuo accipere non erubuiſſe. Verùm omnium iſtorum pecunia, quod fieri ſolere quotidiè experimur, ab eorum morte jam pridem procul dubio evanuit. Cum interim

Bure-

Burenius, & alii ei ſimiles, mediocritate ſua, quod vera in Deum Patrem beneficentiſſimum pietas, & frugalitas cum αὐταρκείᾳ conjuncta efficit, contenti; hujusmodi facultates poſt ſe relinquant, quæ publicè magis quam privatim proſint: & in quas nihil tyrannis, nihil furibus, nihil incendiis, nihil quod omnia conſumit tempori, nihil denique morti ipſi juris aut poteſtatis eſſe poſſit. Verùm temporis anguſtiâ prohibemur, quo minus hæc evolvamus accuratius. Jam igitur quod inſtitutæ orationis proprium eſt, harum, quas tàm avidè nonnulli expetunt, deliciarum ita ſatur, ut nullius me rei major unquam ceperit ſatietas: Magiſtratum hunc meum ſemeſtrem cupidiſſimè depono, vobisque adoleſcentes ſtudioſiſſimi ſignifico, unanimi ſenatus Academiæ conſenſu ſemeſtris hujus hiberni Rectorem electum eſſe virum & Medicum clariſſimum Doct. Petrum Memmium, Collegam & amicum noſtrum obſervandum. Tu igitur Magnifice Domine Rector, pro conſueto hujus ſolemnitatis more, cathedram hanc conſcendes, & uſitato juramento tuam fidem & integritatem, de

qua tamen minimè dubito, religiosè Academiæ huic nostræ obstringes.

JURAMENTUM.

Ut autem hæc ipsa novi Magistratus declaratio conspectior esset & illustrior, ritus quosdam Majores nostri in eadem adhiberi voluerunt, qui quidem non inanes gesticulationes essent, sed de primariis illustris hujus officii partibus Rectorem admonerent.

SCEPTRA.

Sceptra igitur primò tibi trado, quæ dignitatis regiæ, tàm in sacris quam in profanis scriptoribus indicia haberi non ignoras. Et quidem Homerus sceptrum illud Agamemnonis ab ipso Jove, internuncio Mercurio, primum Pelopi datum, & ab eo deinceps ad posteros Reges Argivos delatum esse asserit, ut ostendat, non humana sed divina auctoritate regna constitui & conservari. Bina vero sceptra in scholis Regiis Rectori usitatè præferri solent, ut eorum alterô bonos sibi defendendos, alterô improbos coërcendos esse meminerit.

LEGES.

Deindè ut sciret quoque Rector, quibus fini-

finibus potestas sua circumscripta esset, & intra quas veluti metas seipsum & subditos suos deberet continere: Leges ei certas in publica hac solemnitate repræsentari voluerunt; quibus & ipse sedulò cumprimis obtemperaret, & ad obedientiam iis præstandam alios quoque, si tractabiles essent, amicis cohortationibus incitaret, si contumaciores, sine prosopolepsia severè impelleret. Eas igitur ipsas tuæ quoque exsecutioni seriæ trado & commendo.

MATRICULA.

Præterea ut scire posset, quinam suæ jurisdictioni subjecti essent, & in quos vel patrocinium, vel animadversio sua se extenderet: omnes eos, qui jam indè usque ab initio Academiæ hujus Rectoribus nomina sua dederunt, in his membranis, quas matriculam vulgò vocant, Majores nostri consignarunt: quos ipsos unà cum hoc libro tibi exhibeo, ut & eos, qui jam in præsentia subditi tui sunt, agnoscas & in eorundem numerum plures, qui deinceps se offerent, recipias.

SIGILLUM.

Sigillum quoque veritatis & fidei simulacrum de manu in manum tibi trado,

quo & litteras, diplomata, & edicta publica communire, & veritati, ubi opus erit, testimonium perhibere, atque ita tibi etiam absenti, tanquam præsens esses, fidem queas conciliare. Quod igitur M. Cicero Quintum fratrem de annulo signatorio monet, erit sigillum hoc, non ut vas aliquod omnium manibus & usui expositum, sed tanquam ipse tu: Non ministrabit voluntati alienæ, ut facile quorumcunque arbitrio omnia obsignentur: sed tuæ auctoritatis Collegarumque judicii veri & sinceri erit τεκμήριον.

CISTELLA.

Quia etiam notitia antiquitatis & rerum jam pridem in eadem republ. deliberatarum, scriptarum & gestarum, gubernatori omninò necessaria est: Cistellam hanc, in qua transactiones, codicilli, rationes, epistolæ & alia nonnulla acta publica memoriæ causa asservantur, custodiæ tuæ fideli porrigo & commendo.

VOTUM.

Postremo immortales uni & vero Deo, Patri Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, gratias habeo & ago, quod hanc Academiam in extremo hoc maris Balthici litore,

tore, inter varios aquilonum turbines & multiplices fluctuum procellas, instar nidi halcyonis scopulo affixi, totos jam centum quinquaginta novem annos clementer conservavit, eumque cum gemitu & votis supplicibus oro, ut eandem deinceps quoque præsertim extremis his & periculi plenissimis temporibus, quibus omnia bona & laudabilia quæ sunt, ruinam minantur, benevolè defendat, neque eam, quod nimis sæpè jam factum est, vel peste, qua tamen undique circumdamur, dissipari: vel tumultibus bellicis, quorum etiam non planè ignari sumus, vastari sinat. Sed ut in publicis hisce & fatalibus, quas nos quoque non minus quam vel Belgæ, vel Livones, vel Hungari meriti sumus, pœnis misericordiæ suæ recordetur, & ipse, supremus hujus Academiæ Rector, Reip. Consul, Ecclesiæ Episcopus & singularum domuum paterfamiliàs perpetuo sit & maneat, semestremque hunc Magistratum tuum ad nominis sui gloriam & discentium ac docentium felicitatem atque salutem benigne fortunet.

DIXI.

* * *

Plura de Burenio vid. apud Jo. Caselium in Epist. ad Jo. Reccium, in Opusc. de Westphalia à Jo. Goes Helmst. editis, anno 1668. p. 175. seq. add. Diss. nostra de Meritis Westphalorum in Academiam Rostochiensem, Sect. III. p. 37. seqq. & Schediasma de Eruditis clim. maximo denatis p. 10. seq. &c.

* * *

EPITAPHIUM
ARNOLDI BURENII,
scriptum
à
NATHANE CHYTRÆO.

PHILLYRIDES JACET HIC, NON THESSALUS ILLE, SED IDEM
GENTI HUIC, QUI GRAJIS THESSALUS ILLE FUIT.
FORMATOR JUVENUM LINGUÆ MORUMQUE MAGISTER,
SOCRATICIQUE CAPUT, NORMA DECUSQUE CHORI.
BURENIUM DICO, CUJUS DOCTRINA FIDESQUE
HUJUS ERAT COLUMEN, VITA, VIGORQUE SCHOLÆ.

DUL-

DULCIS ERAT CICERONEÆ VOX
ÆMULA LINGUÆ,
ET SUMMUS CHRISTO DICERE
GRATA LABOR.
QUOD SI SIGNIFERUM CHIRONIS
SIDERA PINGUNT,
QUANTA ERIT IN COELIS GLORIA
BURENII.

* * *

SCRIPTA.

Orationes Burenii unô Volumine edidit Nathan Chytræus, hoc titulô:

Arnoldi Burenii, Viri Clariss., Orationes. De Vita Burenii Oratio Nathanis Chytræi, unà cum aliis quibusdam hactenus desideratis Orationibus. Rostochii, Typis Stephani Myliandri Anno M.D.LXXIX. 8vo.

Orationum Burenianarum hæc est series:

Oratio ad Episcopum Monasteriensem de Scholis litterariis in Westphalia constituendis.

Oratio de ordine discendi & honorum scholasticorum gradibus.

Oratio de Litterarum humanitatis dignitate & usu.

Oratio de disciplina Academiæ Rostochiensis, contra Sycophantas & calumniatores malevolos.

Oratio in funere illustrissimi Henrici, Ducis Megapolitani.

Oratio, quâ Illustrissimo Principi, Megapolensium Duci, de Domina Elisabetha, clarissima Principe, nata ex regia Danorum stirpe, in Matrimonium ducta, gratulatur.

De cæteris ejus scriptis nunquam editis videri potest Oratio Chytræi.

JOAN-

JOANNIS CASELII
AD
GREGORIUM BERSMANNUM
V. CL.
EPISTOLA,
MEMORIAM
HENRICI MENSINGII,
Optimi & doctissimi adolescentis,
complectens.*

---

* Legitur hæc Epistola inter Caselianas, quæ cum Victorianis uno Volumine evulgatæ sunt, (sub Titulo: Clarissimorum Philosophorum, Petri Victorii & Joannis Caselii Epistolæ lectu dignissimæ, Francof. Anno M.D.XCVII. in 8vo.) p. m. 267. seqq. Exstat quoque separatim excusa, unà cum Programmate funebri & amicorum carminibus, Rostochii M. D. LXXX. in 8.

GRE-

GREGORIO BERSMANNO
S. D.
JOANNES CASELIUS.

DEdi ad te, Berſmanne, neſcio quid proximè litterarum. Subitò enim ſcribendum erat. Ut plurimum enim litteras poſcere tabellarii ſolent, quandò velut è carceribus jamjàm excurſuri ſunt, & pænè dixerim avolaturi. Id erat menſe altero. Jam verò mearum rerum haberes uberrimum interpretem, Henricum Menſingium noſtrum, ſi, quod in animo habebat, jamque ingreſſus erat iter, perficere ipſi licuiſſet. Dederam enim permulta ei in mandatis ad te. Cui enim rectius quam familiari? ne Epiſtolæ quidem. Verum id ſecus accidit, ut nec ille nobis potuerit gratificari, & ego tibi tàm cognitu acerbum, quàm ſcriptu mihi de eo nuncium, ad te perſcribere neceſſe habeam. Amiſimus namque adoleſcentem cariſſimum, ſummum utriusque cultorem. Valdè autem eum amavimus (tutò enim, ut de me, ità de te quoque id affirmare poſſe mihi videor.) non tàm, quod ab eo nos diligenter obſervari intelligeremus,

etſi

etsi neque hoc nihil caussæ esset, quando vix cujusquam ea est vel asperitas vel immanitas, ut hunc, â quo diligatur, oderit, quàm quod justas ejus amandi eas caussas habuimus, quæ apud omnes homines conciliatrices benevolentiæ esse solent. Vis enim maxima est probitatis & modestiæ in adolescentia, maximè apud spectatos viros: nec mirum, cum sæpè etiam vel nefarios hostes in admirationem sui, species virtutis excitet. Proinde nihil videatur absurdius, quàm si nos eâ non capiamur, cujus studium profiteri non dubitamus. Quis enim credat, ullum esse sapientiæ studium, â virtute separatum, aut remotum? Neque tamen ignoramus, animi bonorum, quæ sit inter ipsa affinitas, quæque differentia. Velim autem quæ mentis sunt bonis, semper comitari altera, quæ consilii morum atque vitæ perhibentur: quod inprimis optavit perpetuo optimus humanæ vitæ auctor Socrates. Sanè & hæc & illa admirabilia & divina sunt. Hinc igitur non sine caussa evenit, & aliter fieri non potest, ut boni iidemque docti viri, (non dico doctissimos, ne me in doctis numerare existimes eos,

qui-

quibus vulgus & imperiti veluti sceptrum & diadema sapientiæ deferunt) & sancta quadam conjuratione, respiciente veritatem & utilitatem publicam, se inter se sincerè colant, & virtutis bonæque doctrinæ deditos sincerè ament. Non jam persequar, quæ nobis inter nos velimus & debeamus: quos profectò certis vestigiis ad probitatem & litteras ingredi videmus, eos sine dubitatione, uti dixi, amamus: omnibus nostris opibus juvandos statuimus: erudiendo, monendo, cohortando, quacunque alia ratione: procurrentibus in spatio gratulamur: si quid ipsorum honestis obstet conatibus, conamur amoliri: etiam ipsorum infelicitatem dolemus, ut liberorum. Talem te esse erga tuos alumnos, non dubito: me talem fuisse erga meos, à multis jam annis ipse mihi testis sum apud me locuples; neque desunt tamen, qui meum erga se animum, cœteraque beneficia prædicent. Cum autem æque amicissimè fuerimus affecti erga Henricum Mensingium, parem dolorem ex ipsius casu capimus. Præmaturè nobis ereptus est, sed multo magis studiis opt. artium, id est utilitati publicæ. Si enim ullus ordo servit com-

communi vitæ hominum ; hic certè noster est. Nemo enim est nostri ordinis revera, quin & quibus cum vitam agit & longè etiam dissitis plurimis, & præsenti seculo, & posteritati etiam serviat, egregiè : quod fortasse neque vulgo in universum, neque multis regibus persuaserimus : Nos tamen hoc intelligere nostra interest, ut pulchritudine nostræ vitæ generis confirmati, ut negligamur, ut premamur, ut rideamur, locum in acie non deseramus, sed omnem barbariem, ejusque socias aut gemellas sorores, inscitiam, malitiam, & quicquid incommodat rectæ rationi vitæ, sedulo profligare pergamus. Sed redeo ad Mensingium, qui quoniam occasionem, mihi dedit ad scribendum, non indulgebo dolori, neque id faciam, quod nostræ litteræ prohibent, ut me frustra animi angam : sed in multis malis hoc quoque feram, & ratione medebor huic quamvis recenti plagæ, ad ea convertens animum, quibus & ipse animus alitur maximè, & homo non evertitur. Neque ille velit, nos aliter hic nos gerere; non nolit autem de se nos dicere, quæ cum vera sint, tum nostrum erga

ga ipsum amorem testentur: neque hoc improbet, qui ex hujus epistolæ lectione fructum aliquem capiat, & vel exemplo vel doctrina animo informetur: Neque te pigeat, quæ maximam partem noveris, recognoscere, & mecum tacitè considerare, qua re si nunc voluptatis nihil parare nobis possumus, minuemus tamen molestiam. Sed in cæteris non exspectas, ut de iis bonis Mensingii multum verborum faciam, quæ fortunæ potius non ipsius propria fuerint. Sed neque tamen quid habuit plebeium in animo, neque à majoribus. Primum enim utraque ipsius patria est adprimè nobilis. Duas enim legitimè poterat agnoscere: unam ubi ipse esset in lucem editus, hanc civitatem, in qua mihi vivere satis commodum est, celebrem & negotiatorum frequentiâ & doctrinæ studiis: alteram, nobilissimum hujus oræ maritimæ emporium, & principem civitatum ad mare versus boream confœderatarum, Lubecam, quæ nomine εὐνομίας & apud longinquas gentes benè audit, & ab acribus vitæ hominum censoribus magnopere prædicatur. In ea ejus proavus Bernardus Bamauerus, equi-

equitis aurati dignitate præstans, quæ illo seculo propterea magna erat, quod non nisi fortissimis viris & benè meritis de Patria tribueretur, & consulatum cum laude gessit, & quo tempore Lubecenses regnum Suecorum occuparant, cum imperio arcem Stockholmam tenuit. Huic nepos ex filia natus & ipse Lubecæ est Bernardus Mensingius, qui cum esset in inclyta illa civitate apud honestissimos homines liberaliter educatus, & liberalibus disciplinis expoliri cœptus; iisdem se totum dedit, tantumque in studiis sapientiæ profecit, ut bonas literas de auctoritate Senatus nostræ reipublicæ in hac Academia publicè docuerit, etiamnum superstes, cum ipse primum huc venirem. Hoc patre, homine doctissimo, & matre femina primaria, filia hujus reipublicæ consulis, Henricus natus est. Sed mihi hoc felicior videtur fuisse, non tam quod istis parentibus, quod tamen neque ipse leve esse duco, quando raró humillima in altum ad veram dignitatem evehuntur, quàm quod inter Musas & natus primum & subitò educatus fuit. Erant enim ei & alii propinqui viri litteris clari, primum avunculus,

lus, Henricus Varenius, qui & ipſe doctrinas mathematicas dictas, in eadem hac noſtra Academia docet, & materteræ maritus Auguſtinus Ratca, juriſconſultus, de quibus ut de amicis, & vicinis, illo quoque collega parcius loquor. Neque enim homines ab omni arrogantia remoti, aliud volunt: neque meum eſt, videri velle audientium aliquid auribus dare. Cum autem puer admodum, ita tamen tingi cœptus litteris ab ultima infantia, patrem amiſiſſet; partim naturam ſuam, partim exemplum parentis, partim voluntatem propinquorum ſecutus, totum ſe illis libenter addixit. Tutorum etiam auctoritas apud adoleſcentem plurimum, uti debuit, valuit, primum avunculi, qui ipſe in litteris omnem ætatem ageret, deinde Balthaſaris Guly, conſulis, & Andreæ Maſonis, ſenatoris, quos ego homines, ordinis ampliſſimi magni facio, uti par eſt, tum ob humanitatem & ſingularem erga me benevolentiam, tum ob bonarum litterarum ſcientiam, quibus in hac potiſſimum Academia, id quod æquiſſima voluntate præ ſe ferunt, atque iccirco cum noſtro ordine ſunt convinctiſſimi, animos ſuos

præ-

præclarè excoluerunt ante, quàm ad rempublicam accederent. Itaque ipsorum & usus major est & dignitas. Quam autem & hi & amici cæteri, de pueri ingenio spem conceperant; eam in dies magis confirmavit, cum omnibus modestiam in moribus probaret, & in utraque lingua multum proficeret: atque ipsi tum commodum fuit Lubecæ discere ex optimo Magistro Jobo Magdeburgo. Æqualium nemo adolescentulum superavit, æquavere pauci: id quod mihi ex ipsius condiscipulis ipsimet retulerunt. Postquam autem & in illa schola, & in hac Academia bonæ doctrinæ initia quædam accepit; cœpit ille statim non adumbratæ alicujus scientiæ cupiditate flagrare. Cum enim à nobis moneretur, non esse illas veras litteras, quibus hodie satis multi ostentatores se pro sapientibus in vulgus venditant; facilè manus dedit, & subito credidit, se, etsi jam didicisset illa bonarum artium elementa, manibus jam trita omnium, vix dum tamen bonas litteras primoribus, quod ajunt, labris delibasse: quæ teneret, habebat, ut erant, pro puerilibus: quæ videret veteri illo & à philosophis in perpetuum repudiato, so-

phiſtico more in ſpeciem proponi ; ea negligebat & procul à ſe abjiciebat. Quædam enim peſtis, uti ſcis, in Gallia, nobis pueris, invaſit in bonas litteras, non inelegans primo aſpectu, inſcitiæ tamen patrona, mater ignaviæ, veritatis negligens, jactatrix dementis cujusdam ſapientiæ : ea, quod ſciam, Alpes non tranſiit : neque enim illas ineptias animadvertimus in Italia : Sed ex agro Gallico ſerpſit per Germaniam, & ſcholas, in quibus pueri inſtituuntur ; infecit ſanè multas, è quibus ad nos ſæpè ſcioli veniunt, loquaci inſcitia ſatis armati, ubi primum dicendi occaſionem arripuerint : quod equidem doleo, ſed magis doleo, quam dico, perverſam rationem, in regias etiam ſcholas vel irrepere vel irruere. Vide quid non auſit impudentia ; etſi nonnulla eſt etiam, noſtrane, an quorundam noſtri ordinis culpa ? qui illam auctoritate noſtra non ſerio ſemperque coërceamus : neque tamen non video, aliam & multa importuniorem & potentiorem nobis obſiſtere, quæ denuò novum barbariæ imperium molitur. Sed ne à Menſingio evager longius : ille nequaquam in foribus impingens, neque aut judi-

judicio aut cupiditate alucinans, ſtatim ſe, ad viros doctos contulit, à quibus ad benè beateque in ſocietate mortali vivendum, quod non temere pollicetur Philoſophia rectè erudiretur. Delegerat autem ſibi virum gravem, eundemque doctiſſimum, Nathanem Chytræum unum ex meis intimis, amicum verò etiam tuum, ad cujus judicium & mores conformaret, & porrò inchoata ſtudia dirigeret. Ejus quoque domi ſponte vivebat, ut admonitionem expetere, objurgationem etiam non refugere videretur. Quid igitur mirum, ſi multum, ſi brevi, eo ingenio adoleſcens, ea cupiditate, eo ſtudio, illo duce, proficeret? præſertim cum ferè quotidie in ſcribendo exerceretur. Jàm tùm autem & ſolutam numeris, & ligatam orationem ita egregiè componebat, ut & ſubito ætatem iſtam, & ſe indies ſuperaret. Multum faciebat ad eam rem, quod plebeiarum velutique tabernariarum ſcriptionum nihil attingeret, verſaret autem ſedulo omnes Romanos aureos illius ætatis ſcriptores: neque eos percurreret, ut fit, ſed conſideraret, ut eorum mentem plenius intelligeret; quod quo facilius conſequere-

tur; tum quod ipſum fugeret, vel ex æqualibus vel ex hominibus doctis ſciſcitabatur, tum interpretes, quos probari nobis intelligebat, ſimul legebat. Perſequendas verò etiam ſibi Græcas litteras putabat, & cognoſcendos illos perennes fontes ſapientiæ. Græca igitur monumenta quæ poterat, legebat per ſe: alia audiebat cum privatim tum publicè explicari: denique, cum ſcriptores, optimos illos quidem, ſed ad intelligendum non cuivis faciles (in iis erat proximè Lyricorum ille princeps Pindarus) communi ſtudio cognoſceremus, homines aliquot eruditi, uno interpretandi moleſtiam ſuſcipiente, ceteris nihilominus ſuas cogitationes ad ſententiam, è qua unus alterve haud facilè emergeret, confirmantibus; impetravit ipſe quoque à nobis facile cum perpaucis præclari ingenii & acris ſtudii adoleſcentibus, ut una intereſſet noſtris illis ſcholis ſingularibus, frueretur que nobiſcum una dulciſſimis animi epulis. Non enim in philoſophum ordinem cadit, vel cum paribus non communicare de litteris, vel minoribus earum communicationem invidere: utrumque Sophiſtarum proprium eſſe exiſtimetur; & commodis ſuis & falſæ auctorita-

ti con-

ti consulentium, non veritati & societati mortalium Ceterùm contenti sunt plerique hac eruditione, ut tincti leviter ceteris scientiis, animos lectione poëmatum, orationum, historiarum in perpetuum oblectent, & se ad vitam civilem instruant egregiè, inque ea rectè colenda mirificè confirment. Utinam nemo vel regnum gubernet, vel aliquod in Rep. munus gerat, nisi vel hisce tantum studiis, sanè tam jucundis quàm utilibus, & imbutus & quod per negotia liceat, in perpetuum occupatus. Tanti ego hæc facio, & pluris adeo quam multa, iis quæstuosiora, etsi hæc sola ferè nunc in precio sunt. Quanquam igitur illis quoque mirificè hic adolescens caperetur, eaque coleret summa diligentia, neque unquam, quoad viveret, abjicienda aut seponenda putaret: tamen in iis tantum pedem sibi figendum non putabat, sed ad subtiliores, sublimiores, & diviniores quoque scientias, tum naturæ præstantiâ, tum judicii bonitate rapiebatur, â quibus tamen multi ingenii imbecillitate, vel impatientia laboris fugiunt, alii deterrentur magnitudine & difficultate ipsius operis: quod tantum est, quanti sum-

ti summum omnium bonorum, quæ homines nostrapte opera nobis comparare possumus, æstimari debet. Quod si rem ipsam assequi numquam possis; nonne hic animus omni laude dignus esse videatur? necesse est enim eum esse non vilem, qui despiciat quæcunque sunt in fortunæ potestate posita: contra divinum esse, qui vera bona in bonis sola ponat, omnesque nervos intendat ad ea consequenda. Non igitur abs re adolescentem nostrum, etiam exemptum rebus humanis, amore prosequimur: quem ego erga illum ostendere alia ratione non possum, quam si non tibi, etsi ad te potissimum scribens, sed aliis adolescentibus, liberalium artium studiosis, illius mentem consiliumque exposuero, uti institui. Etenim ille veræ laudis præmiique suorum laborum expers non erit, & hi habebunt exemplum nobile, quod imitentur. Exemplorum etenim quæ proba sunt, rectè etiam pro regulis habebimus, quando nisi vel cum his convenirent, vel ad ea proximè accederent, proba nequaquam existimarentur. Sed quo me abripit scriptionis quasi æstus? Volui esse non ita longus: & quanquam plu-

plura etiam ſcripſi, quam volebam initio, tamen non poſſum inchoata præcidere & tu meæ verboſitati veniam dabis, præſertim ex amiſſi adoleſcentis deſiderio natæ. Ut multos ego vidi, neque tu fortè pauciores, qui doctores vel non audiendos putarent, ſibimet ſe ſatis idoneos magiſtros fore rati, vel non audirent ſedulo, freti ingenio, vel quosvis audirent, ſive eos certe, quibus alios operam dare, cernerent, nullo uſi conſilio in rebus ſuis. Contra Menſingius & rectè putabat, in ſcientiis eſſe, quas ſine diſerto interprete ne ingenioſiſſimus quidem perdidicerit, neque illum audiendum oſcitanter, quod ſi quem, quæ præmitti neceſſe eſſe, fugiſſent, is intelligentiam ſequentium nunquam adipiſceretur: videbat deinde quæ ex quo rectiſſimè, quo item & tempore & ordine acciperet. Itaque cæteris non quidem contemptis, tamen præ aliis, ut dixi, Nathanem ſibi ſumpſit, me quoque audivit, ſed diligentiſſimè Henricum Brucæum logica, geographica, aſtronomica, phyſica, cum luculenta ſuavitate divinitus explicantem. Eſt enim hic vir multiplicis bonæ doctrinæ copia inſtructus, & re-

conditis litteris præditus, præter artis medicæ peritiam, in qua quantum excellat, in meo ipsius corpore sæpius experior, quàm me amici experiri velint: sed tamen secundum est, si non semper firmiter valeas, sarcire valetudinis ruinas utcumque posse: quique in ea re nobis serviat, magis etiam videatur colendus, quam Æsculapius. De eo, ne videar plusculum amicitiæ largiri, etsi hic locus postulabat, non dicam amplius, ne etiam ipsi molestus sim, qui intra modum malit prædicari, licet eum numquam satis laudavero. Quod etiam tuam disciplinam non aspernatus sit, tute scis & ego gaudeo, cum quod eo homine usus est, qui principe loco summa cum laude elegantiores litteras, quæ humanitatis appellatione hodie meritò celebrantur, in academia vestra doceas, tum quod ita statuimus de hisce, quas dixi litteris, earumque innocentiam junctissimis animis adversus ingruentem barbariem fortiter propulsamus. Sub hujus enim belluæ signis militant multi, qui exuviis doctrinæ amicti, sibi dominatum & opes passim parant. Quantum verò res umbræ, veritas opinioni præstat, tantò majore laude dignus est, qui esse doctus,

ctus, quàm credi cupiat. Cum autem hic adolescens ad sapientiam non adumbratam contenderet, ita se in hoc præclaro suo instituto gessit: Verum haud scio, an ex iis, quæ dixi, ejus animus ita patuerit, ut ex hoc uno, quod toto animo se ad Aristotelis, summi illius & optimi omnium doctissimorum præceptoris, monumenta cognoscenda conferebat. Hoc enim qui serio & constanter faciat, eum posthabere omnia studio sapientiæ credibile est. Quascumque poterat opes, huc sibi comparabat: propterea cum eruditis æqualibus studia sua quotidie communicabat: doctores, quos dixi, omni attentione audiebat: interpretes summi magistri, quos nactus erat, legebat: quos non habebat, inquirebat undique: etiam eos, qui inquinatius scripserant, ut quamvis politæ orationis semper fuisset studiosissimus, tamen non sermonis solum elegantia capi, sed multo maximè eum optimarum scientiarum studio teneri constaret. Cum autem ejus aliquando accuratè & pereruditè scriptam epistolam legissem; de ipso optimè ominari cœpi, & futurum aliquando in doctissimis Germaniæ hominibus dicere

cere non fui veritus, si eum fata superesse nobis sinerent: neque hæc divinatio, quod post magis sensi, me fefellisset, nisi è medio hoc cursu eum eripuisset fati violentia. In Philosophiæ studiis vitam transigere decreverat: & se præterea, de consilio potissimum meo, arti medicæ dedere, quo & suæ valetudinis, quæ non firma admodum esse videretur, rationem hoc magis & rectius haberet. Hæc agens, hæc meditans, vixit vitam suo loco, ordine, ætate dignam: quæ vita si ipsi brevis contigit, melior fuit, multis in ignavia, somno, turpi voluptate, luxu,& simili vitiorum genere actis seculis. Namque multo magis refert bene vixisse, quam diu: quin sapientes eos ne quidem vixisse arbitratos accepimus, qui benè recteque vitam non instituissent, etiamsi omnibus fortunæ bonis cumulati, omnes cupiditates explevissent suas. Non quæram in hoc luctu consolationum aliquid, quæ nobis in promtu esse perpetuò debent: & propter ea hoc minus faciam, ne meam inopiam tibi ostentare velle videar. Abundas enim ipse hoc genere. Si quis dolor est, noster est, & nostra causa, & iccircò maximè moderan-

randus. Non enim malè cum iis agitur, qui cum benè vixissent, vel paucos annos, vel longam ætatem, quæ tamen brevis esse censetur, quoniam finem habet aliquem, ex incommodis vitæ mortalium, maximè hujus tempestatis, quæ vel solo futurarum calamitatum metu misera est, eripiuntur: immò optimè agitur, quorum animi ad beatorum sedes migrant, quo omnes, ut Christianæ pietatis oraculis edocti sumus, suspirare debemus. Sed cum plura scripserim, quàm ad te debuerim, multa, quæ non debuerim; iterum rogo, ut huic meo errori, quem in te amarem, veniam des. De aliis rebus, cum erit utrique commodius: potissimum autem de communibus litteris, & nostra caussa, quo meliores ipsimet evadamus, & publica, ut honesto otio perfruantur litterarum beneficio plures etiam populi, & posteritatis denique, cujus bonos tam decet habere rationem, quàm nostri habuerunt ex majoribus nostris viri optimi. Nihil puto esse dignius homine, nihil humanitati magis consentaneum: nisi forte, si quid est veræ humanitatis, in hoc veluti opere, non solum consilio, totum vertitur:

tur: quæ omninò mea est de hac re sententia. Vale, Rostochio non. April. CIƆ IƆ XXC.

EPICEDIUM.

Ergò etiam è cursu ad Musas & Apollinis arces,
Egregios animi mors juvenes retrahit!
Injectaque manu crudelibus occulit umbris,
Phœbo ipsi sacros Pieridumque choro!
Id certè interitus nimis heu Mensingus acerbo
Edocet, & cautum quemlibet esse jubet.
Nam via virtutis si non impervia morti est;
Sunt metuenda aliis quanta pericla viis?

NATHAN CHYTRÆUS.

ALIUD.

Occidit, in quo me felicem rebar, amicus,
Corculum, & ipse suæ flos juvenum patriæ.
Quem Phœbus simul, & nata genetrice Moneta,
Unô eôdemque omnes deperiere modo.
Qui Phœbum contra impensè Musasque colebat:
Optimus is cultu nam perhibetur amor.
Et quis adhuc siccis ea fata reponit ocellis?
Quis me sublatæ nolit amicitiæ
Et tantæ Aonidum cladis meminisse? nisi is, qui
Damna decusque uno condit habetque locô.
Nulla dividiæ sic sunt, ut amoris, acerba,
Si penitus quis dilexit & ex animo.

Nulla

Nulla nocent tantis facta impia detrimentis,
Quam sævæ in Musas si qua licent Atropo.
Ergò ego perpetuis tàm tristia fata querelis
Aut doleam aut meritò dicar amasse minus:
Hoc equidem haud dici optarim: nam Dii mihi testes,
Ut mî erat is vitâ carior atque oculis.
Non adeò quod utroque fuit, quæ maxima certè
Laus in amore omni est, consule natus avo.
Nec quod erat Sophiæ mystes, nostrumque Lycéum
Illius erudiit Pallados arte pater.
Sed quoniam eximias divino in pectore dotes
Attonitus longô tempore suspicerem:
Quando communes excerpebamus opellas
Musarum à teneris unguibus ad studia,
Isque oculos juvenum in se jàm converterat omnes,
Eque aliis doctorum ora diserta locis.
Nempe ea causa fuit justi mihi semper amoris,
Digna vel una omnes jungere amicitias.
Hujus Mensingi solum de nomine fata
Si querar, officium dicar obisse meum.
Cætera, cui meritas operoso carmine laudes
Texere erit, melius videris, & celebret,
Non ideò fidis toties iteranda ab amicis,
Ne novus ex veteri vulnere luctus eat.

ALBERTUS CLAMPIUS.

DE

DE VITA, OBITU, Atque ORIGINE *V. CL.* JOANNIS CASELII, PROGRAMMA*

in

Academia Julia

Anno cIↄ Iↄ cXIII.

P. P.

à

PRORECTORE,

JOANNE SIGFRIDO,

Med. D. & P.P.

---

* Præmissum est Programma præsens Operi Epistolico Caseliano, à CL. Viro, Justo à Dransfeld, edito, Francofurti An. M.DC LXXXVII. in 8vo.

PRO-

PRORECTOR
JOANNES SIGFRIDUS,
Medicinæ D. P. P.

& Senatus Academiæ Juliæ
Studiosæ juventuti
Salutem.

VIxit Collega noster, ut antea semper, ita etiam nunc nobis omnibus venerandus senex, JOHANNES CASELIUS: & exequias, Lectores, hodiè ibimus: quas non tantùm huic Academiæ, sed omnibus ubique doctis acerbissimas & luctuosissimas scimus futuras. Adeste, & frequentes ducite funus illius viri, cujus morti ipsam, cum Virtute & gratiis, eruditionem illacrumasse credimus. Nemo est vestrum, qui aureum senem non sit admiratus: Nemo, qui, si nostro arbitrio Deus opt. max. fata mortalium permisisset, sententiam rogatus, ex animo dicturus non fuerit, ne quidem hâc tam grandi ætate eum mori par esse, qui, quod in se fuisset, tota vita benè merendo ipse sibi, quam poterat, æternitatem invenisset & constituisset.

Quamdiu enim erit alicujus eruditionis apud posteros vel tenuis sensus, & quousque nomen suum Gratiæ intelligent, VIVET CASELIUS. Itaque quanquam fieri non potest, quin omnes nos valdè afficiat atque percellat etiam hujus viri obitus, & nostrum vestrumque plurimorumque ubique gentium optimus quisque à se vix obtinebit, quin vel saltem lacrumis ei parentet: tamen neminem vestrum huc ad luctum vel lessum vocamus. Plorentur illi, quorum tota vita sibi ipsi fuit sepulchrum, quos fuisse quidem dicere possis, vixisse autem nequaquam. CASELIUS NOSTER VIXIT, id est, ea egit, quæ verè erant sapientis, cujus vivere proprium est: ut videlicet & intelligeret, quæ facienda essent, & omnibus officiorum generibus, quæcunque ab homine in singulos universosque homines conferri possunt, unicuique ubivis locorum præsto esset. Ita enim statuebat, ad universos quidem mortales pertinere, inprimis tamen nostri ordinis quemlibet hoc agere debere, ut pro se unusquisque dispiceret, quæ maximè ad vitam humanam facerent, eamque perficerent. Hæc ille cum diligentissimè investigasset ipse,

ipſe, non patiebatur quemquam ſuorum in hac cura eſſe negligentem. Quod primum ſicuti cum multis fortè habuit commune, qui & ipſi de ſummo bono ſolliciti fuerint, ita in altero pauciſſimos ſectatores invenit. Nam & doceri ea voluit & vita exprimi, quæ quisque fieri debere comperiſſet. Rectius enim exemplis quam verbis inſtitui homines putabat. Quare ſi quid faciendum eſſe moneret, ſuo exemplo præibat, ſi quid vitandum, nunquam in eo deprehendebatur, à quo alios arceret, ut ita magno quidem cum fructu à diſcipulis audiretur docens, majorem tamen emolumento facientem ea illi ipſi viderent & mirarentur, quæ tanto exemplo ſibi imitanda eſſe vel inviti cogerentur fateri. Non ferebat itaque de officiis diſputantes, quos videret primos ab iis, quæ docuisſent, deſciſcere, & dolebat etiam, ſi quem de rebus ad Religionem Chriſtianam pertinentibus verba facientem audiret, cujus doctrinam ſtatim vita & mores ipſius refutarent. Totus in rebus ipſis piè honeſtè atque omninò rectè gerendis, & ad hæc omnia edocenda juventute, occupatus erat Caselius, ut verbis non crederet,

neque quicquam seriò agi putaret, si facta & omnis vita cum dictis & præceptis & jactationibus non convenirent. Hæc perpetua fuit optimi senis Philosophia : hæc ejus ad mortem usque & penè in ipsa quoque morte meditatio & exercitatio. Hinc tantum illius tota vita alios juvandi studium, ut non, sicut ille imperator, diem, sed horam se perdidisse crederet, si quæ fortè esset elapsa, in qua nihil beneficii aut officii expendisset. Atque erat etiam in ipso morbo unica innocentissimi senis querela, quod nemini in lecto decumbens prodesse posset. Quis igitur miretur, eum tali animo placuisse Imperatoribus, Regibus, Principibus & Nobilissimis Viris, cùm omnes, & summi ordinis, & alii quoque inferiores, sed magni judicii homines, quibus ideò curæ esset Respubl., semper haberent, quod ab eo discerent. De scriptis enim ejus si dicere incipiamus, atque ea commendare velimus, profectò vobis injuriam faciamus, in quorum manibus pleraque esse scimus, tam eleganti doctrina tantaque prudentia referta, ut summos homines adeoque duces ipsos in mediis belli tumultibus ea oblectasse & tenuisse constet. Sed

de

de Caselio nostro pauca dicere non patitur ejus dignitas, multa autem brevi pagella non possumus.

Clarum illi & pernobile genus fuit ab ipsis atavis, nobilissima videlicet Chesseliorum in Geldria sivè in Sicambris, ut veteribus nomina fuere, familia orto. Ei propinquas esse sivè fuisse accepimus ejusdem ordinis plures alias, iis locis illo tempore, & partim etiam nunc florentes, Chrichobachiorum, Vambachiorum, Holtomoliorum, Althofiorum, Mervichiorum. Arx adhuc propè ripam Mosæ fluvii in Colle sita nomen familiæ retinet, Chesselium dicta: quamquam, & veterum Romanorum exemplo ad latinam linguam accommodatius, & amissis avitis bonis & summorum virorum hortatu, Caselius appellari maluit. Longa procul dubio fuit majorum ejus series, cum eum, quem nos primum ex monimentis hactenus deprehendere potuimus, ob res in bello & pace fortiter provideque gestas, vocarint Gothardum Magnum, qui Sigismundo imperante, ex tribus suæ conditionis, nobilibus nimirum, uxoribus suscepit octodecim filios: quos & liberaliter educavit, ut plu-

ti summum omnium bonorum, quæ homines nostrapte opera nobis comparare possumus, æstimari debet. Quod si rem ipsam assequi numquam possis; nonne hic animus omni laude dignus esse videatur? necesse est enim eum esse non vilem, qui despiciat quæcunque sunt in fortunæ potestate posita: contra divinum esse, qui vera bona in bonis sola ponat, omnesque nervos intendat ad ea consequenda. Non igitur abs re adolescentem nostrum, etiam exemptum rebus humanis, amore prosequimur: quem ego erga illum ostendere alia ratione non possum, quam si non tibi, etsi ad te potissimum scribens, sed aliis adolescentibus, liberalium artium studiosis, illius mentem consiliumque exposuero, uti institui. Etenim ille veræ laudis præmiique suorum laborum expers non erit, & hi habebunt exemplum nobile, quod imitentur. Exemplorum etenim quæ proba sunt, rectè etiam pro regulis habebimus, quando nisi vel cum his convenirent, vel ad ea proximè accederent, proba nequaquam existimarentur. Sed quo me abripit scriptionis quasi æstus? Volui esse non ita longus: & quanquam plu-

plura etiam ſcripſi, quam volebam initio, tamen non poſſum inchoata præcidere & tu meæ verboſitati veniam dabis, præſertim ex amiſſi adoleſcentis deſiderio natæ. Ut multos ego vidi, neque tu forte pauciores, qui doctores vel non audiendos putarent, ſibimet ſe ſatis idoneos magiſtros fore rati, vel non audirent ſedulo, freti ingenio, vel quosvis audirent, ſive eos certe, quibus alios operam dare, cernerent, nullo uſi conſilio in rebus ſuis. Contra Menſingius & rectè putabat, in ſcientiis eſſe, quas ſine diſerto interprete ne ingenioſiſſimus quidem perdidicerit, neque illum audiendum oſcitanter, quod ſi quem, quæ præmitti neceſſe eſſe, fugiſſent, is intelligentiam ſequentium nunquam adipiſceretur: videbat deinde quæ ex quo rectiſſimè, quo item & tempore & ordine acciperet. Itaque cæteris non quidem contemptis, tamen præ aliis, ut dixi, Nathanem ſibi ſumpſit, me quoque audivit, ſed diligentiſſimè Henricum Brucæum logica, geographica, aſtronomica, phyſica, cum luculenta ſuavitate divinitus explicantem. Eſt enim hic vir multiplicis bonæ doctrinæ copia inſtructus, & re-

conditis litteris præditus, præter artis medicæ peritiam, in qua quantum excellat, in meo ipsius corpore sæpius experior, quàm me amici experiri velint: sed tamen secundum est, si non semper firmiter valeas, sarcire valetudinis ruinas utcumque posse: quique in ea re nobis serviat, magis etiam videatur colendus, quàm Æsculapius. De eo, ne videar plusculum amicitiæ largiri, etsi hic locus postulabat, non dicam amplius, ne etiam ipsi molestus sim, qui intra modum malit prædicari, licet eum numquam satis laudavero. Quod etiam tuam disciplinam non aspernatus sit, tute scis & ego gaudeo, cum quod eo homine usus est, qui principe loco summa cum laude elegantiores litteras, quæ humanitatis appellatione hodie meritò celebrantur, in academia vestra doceas, tum quod ita statuimus de hisce, quas dixi litteris, earumque innocentiam junctissimis animis adversus ingruentem barbariem fortiter propulsamus. Sub hujus enim belluæ signis militant multi, qui exuviis doctrinæ amicti, sibi dominatum & opes passim parant. Quantum verò res umbræ, veritas opinioni præstat, tantò majore laude dignus est, qui esse do-

ctus,

ctus, quàm credi cupiat. Cum autem hic adolescens ad sapientiam non adumbratam contenderet, ita se in hoc præclaro suo instituto gessit: Verum haud scio, an ex iis, quæ dixi, ejus animus ita patuerit, ut ex hoc uno, quod toto animo se ad Aristotelis, summi illius & optimi omnium doctissimorum præceptoris, monumenta cognoscenda conferebat. Hoc enim qui serio & constanter faciat, eum posthabere omnia studio sapientiæ credibile est. Quascumque poterat opes, huc sibi comparabat: propterea cum eruditis æqualibus studia sua quotidie communicabat: doctores, quos dixi, omni attentione audiebat: interpretes summi magistri, quos nactus erat, legebat: quos non habebat, inquirebat undique: etiam eos, qui inquinatius scripserant, ut quamvis politæ orationis semper fuisset studiosissimus, tamen non sermonis solum elegantia capi, sed multo maximè eum optimarum scientiarum studio teneri constaret. Cum autem ejus aliquando accuratè & pereruditè scriptam epistolam legissem; de ipso optimè ominari cœpi, & futurum aliquando in doctissimis Germaniæ hominibus dicere

cere non fui veritus, si eum fata superesse nobis sinerent: neque hæc divinatio, quod post magis sensi, me fefellisset, nisi è medio hoc cursu eum eripuisset fati violentia. In Philosophiæ studiis vitam transigere decreverat: & se præterea, de consilio potissimum meo, arti medicæ dedere, quo & suæ valetudinis, quæ non firma admodum esse videretur, rationem hoc magis & rectius haberet. Hæc agens, hæc meditans, vixit vitam suo loco, ordine, ætate dignam: quæ vita si ipsi brevis contigit, melior fuit, multis in ignavia, somno, turpi voluptate, luxu,& simili vitiorum genere actis seculis. Namque multo magis refert bene vixisse, quam diu: quin sapientes eos ne quidem vixisse arbitratos accepimus, qui benè recteque vitam non instituissent, etiamsi omnibus fortunæ bonis cumulati, omnes cupiditates explevissent suas. Non quæram in hoc luctu consolationum aliquid, quæ nobis in promtu esse perpetuò debent: & propterea hoc minus faciam, ne meam inopiam tibi ostentare velle videar. Abundas enim ipse hoc genere. Si quis dolor est, noster est, & nostra causa, & iccircò maximè moderan-

randus. Non enim malè cum iis agitur, qui cum benè vixiſſent, vel paucos annos, vel longam ætatem, quæ tamen brevis eſſe cenſetur, quoniam finem habet aliquem, ex incommodis vitæ mortalium, maximè hujus tempeſtatis, quæ vel ſolo futurarum calamitatum metu miſera eſt, eripiuntur: immò optimè agitur, quorum animi ad beatorum ſedes migrant, quo omnes, ut Chriſtianæ pietatis oraculis edocti ſumus, ſuſpirare debemus. Sed cum plura ſcripſerim, quàm ad te debuerim, multa, quæ non debuerim; iterum rogo, ut huic meo errori, quem in te amatem, veniam des. De aliis rebus, cum erit utrique commodius: potiſſimum autem de communibus litteris, & noſtra cauſſa, quo meliores ipſimet evadamus, & publica, ut honeſto otio perfruantur litterarum beneficio plures etiam populi, & poſteritatis denique, cujus bonos tam decet habere rationem, quàm noſtri habuerunt ex majoribus noſtris viri optimi. Nihil puto eſſe dignius homine, nihil humanitati magis conſentaneum: niſi forte, ſi quid eſt veræ humanitatis, in hoc veluti opere, non ſolum conſilio, totum vertitur:

tur: quæ omninò mea est de hac re sententia. Vale, Rostochio non. April. CIϽ IϽ XXC.

EPICEDIUM.

Ergò etiam è cursu ad Musas & Apollinis arces,
Egregios animi mors juvenes retrahit!
Injectaque manu crudelibus occulit umbris,
Phœbo ipsi sacros Pieridumque choro!
Id certè interitus nimis heu Mensingus acerbo
Edocet, & cautum quemlibet esse jubet.
Nam via virtutis si non impervia morti est;
Sunt metuenda aliis quanta pericla viis?

NATHAN CHYTRÆUS.

ALIUD.

Occidit, in quo me felicem rebar, amicus,
Corculum, & ipse suæ flos juvenum patriæ.
Quem Phœbus simul, & nata genetrice Moneta,
Unô eôdemque omnes deperiere modo.
Qui Phœbum contra impensè Musasque colebat:
Optimus is cultu nam perhibetur amor.
Et quis adhuc siccis ea fata reponit ocellis?
Quis me sublatæ nolit amicitiæ
Et tantæ Aonidum cladis meminisse? nisi is, qui
Damna decusque uno condit habetque locô.
Nullæ dividiæ sic sunt, ut amoris, acerbæ,
Si penitus quis dilexit & ex animo.

Nullæ

Nulla nocent tantis facta impia detrimentis,
Quam sævæ in Musas si qua licent Atropo.
Ergò ego perpetuis tàm tristia fata querelis
Aut doleam aut meritò dicar amasse minus:
Hoc equidem haud dici optarim: nam Dii mihi testes,
Ut mî erat is vitâ carior atque oculis.
Non adeò quòd utroque fuit, quæ maxima certè
Laus in amore omni est, consule natus avo.
Nec quod erat Sophiæ mystes, nostrumque Lycéum
Illius erudiit Pallados arte pater.
Sed quoniam eximias divino in pectore dotes
Attonitus longô tempore suspicerem:
Quando communes excerpebamus opellas
Musarum à teneris unguibus ad studia,
Isque oculos juvenum in se jàm converterat omnes,
Eque aliis doctorum ora diserta locis.
Nempe ea causa fuit justi mihi semper amoris,
Digna vel una omnes jungere amicitias.
Hujus Mensingî solum de nomine fata
Si querar, officium dicar obisse meum.
Cætera, cui meritas operoso carmine laudes
Texere erit, melius viderit, & celebret,
Non ideò fidis toties iteranda ab amicis,
Ne novus ex veteri vulnere luctus eat.

ALBERTUS CLAMPIUS.

DE

DE
VITA, OBITU,
Atque ORIGINE
V. CL.
JOANNIS CASELII,
PROGRAMMA*
in
Academia Julia
Anno cIↄ Iↄ cXIII.
P. P.
à
PRORECTORE,
JOANNE SIGFRIDO,
Med. D. & P.P.

---

* Præmissum est Programma præsens Operi Epistolico Caseliano, à CL. Viro, Justo à Dransfeld, edito, Francofurti An. M.DC LXXXVII. in 8vo.

PRO-

PRORECTOR
JOANNES SIGFRIDUS,
Medicinæ D. P. P.
& Senatus Academiæ Juliæ
Studiosæ juventuti
Salutem.

VIxit Collega noster, ut antea semper, ita etiam nunc nobis omnibus venerandus senex, JOHANNES CASELIUS: & exequias, Lectores, hodiè ibimus: quas non tantùm huic Academiæ, sed omnibus ubique doctis acerbissimas & luctuosissimas scimus futuras. Adeste, & frequentes ducite funus illius viri, cujus morti ipsam, cum Virtute & gratiis, eruditionem illacrumasse credimus. Nemo est vestrum, qui aureum senem non sit admiratus: Nemo, qui, si nostro arbitrio Deus opt. max. fata mortalium permisisset, sententiam rogatus, ex animo dicturus non fuerit, ne quidem hâc tam grandi ætate eum mori par esse, qui, quod in se fuisset, tota vita benè merendo ipse sibi, quam poterat, æternitatem invenisset & constituisset.

Quamdiu enim erit alicujus eruditionis apud posteros vel tenuis sensus,& quousque nomen suum Gratiæ intelligent, VIVET CASELIUS. Itaque quanquam fieri non potest, quin omnes nos valdè afficiat atque percellat etiam hujus viri obitus, & nostrum vestrumque plurimorumque ubique gentium optimus quisque à se vix obtinebit, quin vel saltem lacrumis ei parentet: tamen neminem vestrum huc ad luctum vel lessum vocamus. Plorentur illi, quorum tota vita sibi ipsi fuit sepulchrum, quos fuisse quidem dicere possis, vixisse autem nequaquam. CASELIUS NOSTER VIXIT, id est, ea egit, quæ verè erant sapientis, cujus vivere proprium est: ut videlicet & intelligeret, quæ facienda essent, & omnibus officiorum generibus, quæcunque ab homine in singulos universosque homines conferri possunt, unicuique ubivis locorum præsto esset. Ita enim statuebat, ad universos quidem mortales pertinere, inprimis tamen nostri ordinis quemlibet hoc agere debere, ut pro se unusquisque dispiceret, quæ maximè ad vitam humanam facerent, eamque perficerent. Hæc ille cum diligentissimè investigasset

ipse,

ipſe, non patiebatur quemquam ſuorum, in hac cura eſſe negligentem. Quod primum ſicuti cum multis fortè habuit commune, qui & ipſi de ſummo bono ſolliciti fuerint, ita in altero pauciſſimos ſectatores invenit. Nam & doceri ea voluit & vita exprimi, quæ quisque fieri debere comperiſſet. Rectius enim exemplis quam verbis inſtitui homines putabat. Quare ſi quid faciendum eſſe moneret, ſuo exemplo præibat, ſi quid vitandum, nunquam in eo deprehendebatur, à quo alios arceret, ut ita magno quidem cum fructu à diſcipulis audiretur docens, majorem tamen emolumento facientem ea illi ipſi viderent & mirarentur, quæ tanto exemplo ſibi imitanda eſſe vel inviti cogerentur fateri. Non ferebat itaque de officiis diſputantes, quos videret primos ab iis, quæ docuiſſent, deſciſcere, & dolebat etiam, ſi quem de rebus ad Religionem Chriſtianam pertinentibus verba facientem audiret, cujus doctrinam ſtatim vita & mores ipſius refutarent. Totus in rebus ipſis piè honeſtè atque omninò rectè gerendis, & ad hæc omnia edocenda juventute, occupatus erat Caselius, ut verbis non crederet,

 neque

neque quicquam seriò agi putaret, si facta & omnis vita cum dictis & præceptis & jactationibus non convenirent. Hæc perpetua fuit optimi senis Philosophia: hæc ejus ad mortem usque & penè in ipsa quoque morte meditatio & exercitatio. Hinc tantum illius tota vita alios juvandi studium, ut non, sicut ille imperator, diem, sed horam se perdidisse crederet, si quæ fortè esset elapsa, in qua nihil beneficii aut officii expendisset. Atque erat etiam in ipso morbo unica innocentissimi senis querela, quod nemini in lecto decumbens prodesse posset. Quis igitur miretur, eum tali animo placuisse Imperatoribus, Regibus, Principibus & Nobilissimis Viris, cùm omnes, & summi ordinis, & alii quoque inferiores, sed magni judicii homines, quibus ideò curæ esset Respubl., semper haberent, quod ab eo discerent. De scriptis enim ejus si dicere incipiamus, atque ea commendare velimus, profectò vobis injuriam faciamus, in quorum manibus pleraque esse scimus, tam eleganti doctrina tantaque prudentia referta, ut summos homines adeoque duces ipsos in mediis belli tumultibus ea oblectasse & tenuisse constet. Sed

de

de Caselio nostro pauca dicere non patitur ejus dignitas, multa autem brevi pagella non possumus.

Clarum illi & pernobile genus fuit ab ipsis atavis, nobilissima videlicet Chesseliorum in Geldria sivè in Sicambris, ut veteribus nomina fuere, familia orto. Ei propinquas esse sivè fuisse accepimus ejusdem ordinis plures alias, iis locis illo tempore,& partim etiam nunc florentes, Chrichobachiorum, Vambachiorum, Holtomoliorum, Althosiorum, Mervichiorum. Arx adhuc propè ripam Mosæ fluvii in Colle sita nomen familiæ retinet, Chesselium dicta: quamquam, & veterum Romanorum exemplo ad latinam linguam accommodatius, & amissis avitis bonis & summorum virorum hortatu, Caselius appellari maluit. Longa procul dubio fuit majorum ejus series, cum eum, quem nos primum ex monimentis hactenus deprehendere potuimus, ob res in bello & pace fortiter provideque gestas, vocarint Gothardum Magnum, qui Sigismundo imperante, ex tribus suæ conditionis, nobilibus nimirum, uxoribus suscepit octodecim filios: quos & liberaliter educavit, ut plu-

res in aulis Principum & in bellis floruerint, maximè Caroli Burgundionum Ducis ætate, cœteri ad sacerdotia similesque rerum sacrarum functiones adhibiti fuerint. Inter hos fuit Volquinus à Chesselio, qui amore captus filiæ fortunati civis Brachtensis, à patris Petri Endeni, nomine, Petræ, (sivè Petronellam eam nominare malimus) dictæ, ex agro transiit ad oppidanam vitam, nihilominus cum suis avitum nomen & dignitatem retinens. Suscepit ex ea filios duos, Gothardum & Petrum, filias autem tres, Sophiam, Lucretiam & Adelleidam : ex quibus Lucretia ad majorum ordinis gentem se contulit, nupta cuidam è familia Chisphusiorum : sicuti tandem etiam Adelleida, quam uxorem duxit Leoardus Hogius: tertia, Sophia, oblata sibi, honestissima tamen, sorte contenta fuit, quando civem Venloënsem Gerardum Bescheidium cognomine Volquinum, hoc à socero (ut aliquando fit) adeptum, maritum accepit. Gothardus ille, Gothardi, Magni nepos, Volquini alterius filius, Senis nostri avus fuit, qui, etiamsi provectiore ætate conjugem Margaritam Piddelliam duxisset, undecim tamen ex ea suscepit liberos,

beros, ſeptem filios, filias autem quatuor: quorum aliqui infantes mortui, ceteri, partim militiam ſecuti, partim amplis longisque mercaturis dediti, ut mos eſt Sicambris, ac plerisque Belgis viciniſque, etiam ſæpè nobilibus. Omnes verò illi ſuo quisque bono loco fuere. In his Matthias eſt natu quintus, Johannis Caselii pater, homo boni ingenii, optimè eruditus, integri placidique animi. Multa virum optimum ac præſtantiſſimum exercuerunt adverſa. Cum enim propter belli calamitates, & deindè acerbiſſimas de religione Chriſtiana diſſenſiones excitatas, quæ etiam nunc durant, è patria exceſſiſſet, non parvo tempore in Anglia, atque etiam in Scotia aliquamdiu vixit, auſus quoque in Hiſpaniam trajicere, ſine metu cujuscunque, etiam vel maximi iis locis hujus ſententiæ hominibus imminentis infortunii: quod & fortè optavit vir præſtantiſſimus. Litteræ profectò ejus amorem quendam pietatis eximium ſpirant.

Hoc habuit magnum, (ut & filius, de quo loquimur, præſertim quia initio puer admodum abs parentibus aliò translatus, omnium ferè in illa patris modeſtia diu i-

gnarus fuit) quod contemptis cogitationibus, quas plerique de progenitoribus suis nimis stolidè servant, ille se totum religioni tradiderit; & cujus causa ærumnas toleraret, Servatorem nostrum prædicavit, & doctrinam ab eo per summum nostri amorem propagatum publicè professus est. Ex hac vita discessit Gottingæ, anno ætatis, ut conjicimus LXXXIIX. Hujus maximus natu filius fuit JOHANNES CASELIUS, natus hoc, quem dixi, patre, matre autem, CATHARINA CALEBRADEA, fœmina primariæ familiæ, quæ, cum nonaginta quinque annorum esset, & multas calamitates difficillimis temporibus cum marito pertulisset, mortua est Arxlebii, qui vicinus nobis locus est, apud filium natu minimum DANIELEM. Ejus verò Calebradeorum familiæ, præter paucos propinquos, inter quos Scligeri & Dransfeldii, atque præter hos etiam adfines, inter quos Rhumanni, vestigia vix ulla sunt. Natus illi fuerat JOANNES noster CASELIUS anno millesimo quingentesimo tricesimo tertio, qui iis locis, quibus parens exul fuerat, Göttingæ nimirum, Northeimii & Gandersæmii, ut etiam North-

Northusæ, initia bonarum litterarum coluit, heic imprimis præceptore Neandro, viro clarissimo.

Postea Wittebergam se contulit, Philippo Melanchthoni & omnibus doctis viris plures annos semper valdè familiaris & carissimus: ut & deindè Lipsiæ magno illi Camerario. Illic Philosophicæ scientiæ, ut & aliquot annis post Imperatore, Maximiliano II. poëseos laurea, & tam ab hoc quam à Rodolfo II. Nobilitatis avitæ renovatione ornatus est. Posteaquam etiam Lipsiæ, Rostochii & Francofurti ad Viadrum, bonam ætatis partem transegisset in omnis generis litteris, hinc in Italiam, ejus visendæ, & eruditionis augendæ gratia, bis profectus est, atque in ambabus illis peregrinationibus sicsatis diu ibi studiorum causa, etiam antea eruditissimus, moratus, voluntate imprimis & impulsu Joannis Alberti Megapolensium Ducis, cui, ut eruditionis perpolitæ maximo amatori & propagatori, ingenium ejus & virtutis studium innotuerat. Prius iter Italicum mense VI. li, anno CIƆ IƆ LX. suscepit, quando recta, quantum quidem locorum, per quæ transeundum fuit, aliorumque vicinorum

contemplatio permisit, Bononiam contendit. Ibi celeberrimis ejus loci JCtis, ut antea alibi, operam dedit, & præterea in omni litterarum genere viro omnibus notissimo, Carolo Sigonio. Quando autem satis diu eo loco constitisset, Florentiam transiit, ubi item magni illius Petri Victorii passim gentium cognitam reconditiorem eruditionem & insignem virtutem admiratus, ei non solum adsiduus quotidianusque ac carissimus, sed & diuturnus auditor permansit. Indè, peragratis visisque ceteris florentissimæ regionis partibus, in Megapolin rediit anno CIƆ IƆ LXIII. Reverso cùm à Ducibus Megapolitanorum decreta fuisset Philosophiæ & Eloquentiæ professio, Rostochium ideò III. Nonas Quinct. eodem an. CIƆ IƆ LXIII. profectus est: eamque suscepit statim, & cum magno juventutis profectu, ut initio, ita deinceps obiit; Intervenit autem illis locis pestilens lues: quamobrem permissu Principis sui in Italiam iterum abiit, initio anni CIƆ IƆ LXV. ut studiis antea feliciter cultis porrò plus augmenti adjiceret. Ibi ferè triennium exegit, ut plurimum cum Victorio, homine magnæ ætatis: qui clarissimus apud omnes,

omnes, summæque autoritatis haberetur ab omnibus per omnem Europam, & populorum & eruditionis principibus. Pisis utriusque Juris (cui cum operam diligentissimam impendisset, postea tamen, naturæ suæ conditione explorata, studium illud omisit) Doctor renunciatus est publicè, autoritate amplissimi JCtorum ordinis, nemine omnium dissentiente, adhibitis solennibus ritibus, post præmissas usitatas atque in hoc genere necessarias disquisitiones: idque V. Cal. Febr. anno CIƆ IƆLXVI. Reliquit in Italia celeberrimos viros sibi amicissimos, Petrum Victorium, Paullum Manutium, Joannem Vincentium Pinellum, Carolum Oricellarium, Carolum Sigonium, M. Antonium Muretum, Petrum Angelium, hujusque fratrem, Antonium, Bargæos, Onuphrium Panvinium, Hieronymum Mæium, Cyriacum Strozzam & multos alios, quorum nomina hæc charta vix capiat, quibus omnibus deinceps percarus semper mansit. Inprimis autem Victorii consuetudo illi magno bono fuit, quod & ipse cum summa præceptoris veneratione semper agnovit. Coluit verò illic etiam & audivit JCtos, inprimis Bovium

vium & Bargalinum Bononiæ, Calæfatum, Ciofium & Plautium, Pisis. Præter alia hoc nostri homines hujus optimi senis laboribus & studiis debent, quod genuinam illam Philosophiam partim ab aliquot seculis per eorum complures, quos vulgò scholasticos vocant, maximè in Italia, excitatam propagatamque, partim, atque elegantius quidem, excultam & deditam passim à Græcis exulibus, Gaza, Trapezuntio, Philelfo, & qui hos cœterosque ejus gentis secuti sunt, Ficino, Politiano, Mirandula, Barbaro, Victorio & aliis, in Italia porrò didicit, atque in ejus penetralia quam plurimos perduxit. Ex Italia sub finem anni CIↃ IↃ LXVII. ad munus suum rediit Rostochium. Neque multò post in aulam accitus ad Principis Johannis Alberti, quem ante summi, atque ob beneficia in litteratos, meritissimi honoris causa, nominavimus, filium, Joannem, ultra impuberes annos progressum docendum, eo se recepit, atque hoc officio, summa cum laude atque applausu omnium, quadriennium functus est, cum neque de diuturniore tempore actum esset. Læto animo se illinc aulicarum molestiarum pertæsus,

tæſus, adulto jam etiam diſcipulo, in Academiam recepit, ut porrò juventuti prodeſſet publicè ac privatim, ut certè profuit maximè rebus ipſis teſtibus. Interea verò dùm illic moraretur, anno CIↃ IↃ LXXI. prid. Cal. IIX. br. uxorem duxit Magnifici & Ampliſſimi viri, Andreæ Mylii, Ducum Megapolenſium Conſiliarii primarii, filiam, Gertrudem, ex qua ſuſcepit Joannem Ulricum, Margaritam, Clariſſimi Viri Collegæ noſtri Theodori Adamii Conjugem, Annam Sophiam, quæ & ipſa præſtantiſſimo viro Theodoro Hupæo nupſit, Joannem Carolum, Joannem Guilielmum, Eliſabetham, Joannem Julium, Joannem Andream, & Helenam. Conceſſerunt omnes fatis, præter Margaritam. Uxorem amiſit IV. Eid. Februar. anno CIↃ IↃ XXCIII. Indè viduus manſit, dùm vixit, liberis ſemper à noverca metuens, non minimo tam diuturnæ continentiæ & in ſuos pietatis exemplo. Cum autem ingens viri eſſet fama, non potuit ea latere Principem, in cujus territorio natus erat: Ducem, inquam, noſtrum Julium, beatæ memoriæ; præſertim cum Academiam hanc condidiſſet; & magnis præmiis doctiſſimos quosque homi-

homines huc invitaret, à quo etiam vocatus fuit CASELIUS, ſed, quod eum amaret dux Megapolenſium, Joannes Albertus, atque ex aliquo intervallo interveniret mors optimi illius Principis noſtri, tunc quidem huc non venit CASELIUS. Nec tamen minus hæſit in animo ſucceſſoris maximi Herois noſtri HENRICI JULII: cui ex celebritate nominis, & ſcriptis, & præſentis aliquoties ſermonibus, notiſſimus erat. Is ergo, pro ſumma heroici ingenii bonitate, non quievit, priusquam illum huic patriæ ſuæ reſtitueret. Vixit itaque heîc totos viginti & quatuor annos, omnibus bonis cariſſimus, parens ſtudioſorum adoleſcentum, atque in his, præter plurium aliorum morem, etiam inopum: quorum tam multi hodiè per eum florent, ut nullam credamus in Europa nationem eſſe, quæ magno noſtro ſeni multis propterea nominibus obligata non ſit. Paſſus etiam heîc ſuos eſt manes. Ut enim de reliquis nihil dicamus, per mortes ſuorum iit pœnè ſolus omnibus ſuis ſuperſtes. Poſtremo, ætate potius, quam morbo confectus, hac menſe ad diem V. Eid. paulò ante veſperam in vera filii Dei agnitione,

tione, & liberationis ex hac miseria in valle flagrantissima expectatione, piè & tranquillè obiit: postquam mensibus superioribus aliquot longè solito infirmior esse cœpisset, maximè tribus ultimis: quare tandem ab ægritudine dejectus, dies plusculos in fatali lecto se continuit, donec, non valentibus defatigati pectoris viribus moribundo jam cordi ministerio suo amplius præsto esse, ita exspiravit. Gratias Deo opt. max. debent plurimi mortalium, adjuti ab hoc viro atque ornati, quod ei ad tantam ætatem pervenire licuit, quantam ipse sibi ne sperare quidem, alii verò tam imbecilli corpori vix optare ausi fuerint: quanquam ipse sibi quoque hac in re non defuit, qui quotidiano corporis motu & perpetuo temperantiæ studio adversus ancipitem valetudinem semper se muniverit. Exequias magno viro hodiè, ut intellexistis, ibimus. Adeste etiam vos frequentes, & ultimum ei humanitatis officium præstate, qui humanitate & officiis plerosque mortales superavit. Valete! P. P. in Acad. Julia A. D. XVI. Calend. Majas.

Documentum Publicum
De V. CL.
JOANNE CASELIO,
In Academia Pisana utriusque Juris Doctore legitimis modis ac ritibus renunciato.

IN DEI nomine Amen. Antonius de Pratis de Consilice Canonicus Ravennatensis J. U. D. & Protonotarius Apostolicus, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, Domini ANGELI NICCOLINI, miseratione divina tituli Sancti Callisti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Archiepiscopi Pisani; Sardiniæ & Corsicæ Primatis, nec non *Pisani almi Gymnasii Cancellarii Apostolica Cæsareaque auctoritate dignissimi*, in spiritualibus ac temporalibus Vicarius generalis, ad omnia & singula specialiter ab eodem constitutus & deputatus, universis & singulis Christi fidelibus tam clericis quam laicis præsentes nostras inspecturis salutem in Domino sempiternam. A majoribus nostris rectè quidem ac sapienter institutum est, ut homines principio rudes, ac omnis artis scientiæque expertes,

tes, si (quod illorum proprium est) æterna immortaliaque investigare, perspicere ac cognoscere vellent, dignis præmiis, perpetuis laudibus summisque honoribus afficerentur: cum honos alat artes, cunctique incendantur ad studia gloriâ. Verùm cum cognitio quælibet bona sit & honesta, illa tamen longè præclarior, sublimior, illustriorque censeri debet, quæ majori ornamento, commodo, honorique mortalibus esse potest. Hæc enim urbes condere, populos regere, societates tueri, aliena non appetere, ac sua cuique tribuere præmonstravit. Hæc una est, qua prædíti verè sapientes, immortales, fortunatique meritò dici possunt. Hujus sectatores, ut cæterarum disciplinarum sunt utiliores, sic, etiam majoribus sunt præmiis, laudibus & honoribus cumulandi. Ejus igitur præstantia motus Magnificus & Præstantissimus Vir, Dominus JOANNES CASELIUS, Matthiæ filius, Gottingensis Brunsvigius: quem virtus ejus eximia, suique probatissimi ac laudatissimi mores omnibus exhibent admirandum, colendum, & venerandum, cum omnibus liberalibus artibus superioribus proximè elapsis temporibus operam

prius diligentiſſimè navaſſet, quæ hujus veluti præludia ſemper exiſtimaverat, in hanc ſanctiſſimam J. U. ſcientiam oculos tandem, mentem animumque direxit, quam ut toto pectore amplecteretur, abſtinuit Cerere & Bacho, ſudavit & alſit, natale ſolum, amicos, parentesque reliquit, & in celeberrimis Lipſiaca, Roſtochiana, Francofordiana ad Viadrum atque Bononienſi academiis tanta cura, ſtudio, diligentia atque ſolertia per plures annos legibus inſudavit, ut ad Cleanthis Ariſtophanisque lucernam vigilaſſe ab omnibus crederetur. Poſtremò doctiſſimorum virorum & excellentiſſimorum J. U. D. qui in hoc almo Piſano eadem profitentur jura Gymnaſio, fama excitus, ut ſuorum laborum optata condignaque præmia conſequeretur, Piſas ſe contulit, horum auſpicio tantum Deo dante profecit, ut in literaria arena pugnare acriter, jugulum petere, ſubtiliter, graviter, ornateque diſputare ab omnibus judicaretur. Quamobrem Magnifici ac Excellentiſſimi J. U. D. illuſtris Dominus Petrus Calæfatus, Piſanus, Dominus Camillus Plautius, Fontanellatenſis, Dominus Antonius Cioſius, Florentinus, & Dominus

nus Donatus Malegonnella, Florentinus, Promotores fui, in eodem Pisano almo publicè legentes jura Gymnasio, ipsum coram nobis legitimè præsentarunt, asseverantes hunc in Doctorum albo, jure adscribi, ac longo, arduo, tremebundoque examini in tanto doctissimorum virorum collegio meritò admitti posse. Igitur à nobis puncta illi de more, hesterna die, hora vigesima prima assignata fuerunt infra scripta, videlicet *in jure Pontificio, c. Quoniam velina, XII. q. 1. & c. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. In Jure autem Cæsareo l. Quod quis sciens, ff. de cond. indeb. & l. Non est novum C. de eden.* quæ præsenti infrà scripta die, hora etiam supra scripta, veluti in Areopagitarum concilio, coram nobis, & omnibus aliis Excellentissimis Pisani almi studii supra scripti J. U. D., ut examini interessent hujusmodi, ex nostra parte vocatis, in infra scripto loco, & habitis, ita doctè legit, ita subtiliter declaravit, ita J. U. D. eorundem omnium argumenta (quæ ænigmata potius dixeris) contra se formata memoriter repetiit & apertè dissolvit, ita per duas horas cum maxima omnium admiratione omnia doctorum munia excoluit, *ut uno omnium placido ore,*

candido animo , parique consensu ipsorum , nemine penitus discrepante , dignissimus meritò fuerit existimatus , ut Pontificii Cæsareique Juris ornamentis , gradu , insignibusque feliciter , honestaretur. Nos igitur Antonius de Prætis supra scriptus de communi concordiæ consilio, consensu & unanimi voluntate eorundem omnium Excellentissimorum J. U. D. Pisani almi Gymnasii prælibati legali debito ac sufficienti numero collegialiter congregatorum eundem Magnificum Dominum JOANNEM CASELIUM super cathedram constitutum in nostri & aliorum præsentia diligenter examinatum, simul & approbatum diximus , pronunciavimus & declaravimus sufficientissimum doctissimum & meritissimum ad habendum, consequendum, & obtinendum licentiam, publicum gradum, & solita doctoratus insignia J. U. facultatibus supra scriptis. Illique tunc auctoritate superius plenissimè demandata, qua in hac parte fungimur, uti meritissimo J. U. D. in eisdem legendi, docendi, consulendi , interpretandi , examinandi ac judicandi , cathedram magistralem ac Doctoralem ascendendi, illamque regendi, cæterosque docto-

doctoreos actus & magistrales Pisis & ubique locorum ac terrarum publicè exercendi, plenam, liberam, ac commodam potestatem, licentiam & facultatem cedimus, damus & concedimus, per has nostras ipsum Magnificum Dominum Joannem Caselium pronunciantes, affirmantes & declarantes J. U. Excellentissimum esse Doctorem. Receptis postremò per eum ab eodem Excellentissimo ac Illustri J. U. D. D. Domino Petro Calæfato compromotore suo supra scripto, ac aliorum suorum compromotorum nomine, ipsorum jurium & gradus solitis Doctoratus insignibus, libro scilicet clauso, mox aperto, birretóque vice laureæ ejus capiti imposito, ac indè annuli aurei subarratione, cum osculo pacis, paternalibus, magistralibusque benedictionibus, qui omnibus sic publicè insignitus & coronatus, felici coronetur in patria per viventem in secula. In quorum omnium & singulorum fidem robur ac testimonium præmissorum præsens hoc publicum instrumentum authenticum in se continens privilegium per Ser. Alexandrum Monticellum notarium nostrum & archiepiscopalis Pisanæ curiæ Cancellarium infra scri-

 ptum,

ptum, rogari & subscribi jussimus, sigillique ejusdem Illustrissimi ac Reverendissimi Pisani Archiepiscopi appensione munitum. Datum Pisis in palatio Archiepiscopali in aula superiori coram & præsentibus ibidem Nobilibus ac Magnificis viris, Domino Joachimo Bassevicio Megapolensi, Domino Joachimo Jacobo Hundt à Lauterbach in Kaltemberg Bavaro, Domino Joanne Hectore Schad de Mittelbibrach Bavaro, Domino Joanne Erasmo Flossero Norico, Domino Joanne Schaubero Oenipotano Tirolensi, Domino Joanne Gailingo Norico, Domino Nicolao Calæfato Pisano, Domino Damiano Lomellino Genuensi, & quamplurimis aliis testibus ad prædicta vocatis, habitis & rogatis, Dominicæ Incarnationis anno M. D. LXVI. Indictione Nona stilo Pisano atque Romano. Florentino verò 1565. & die XXVIII. mensis Januarii. Pontificatus sanctissimi Patris nostri Pii divina providentia Papæ Quinti, anno primo, regnante Serenissimo Principe Maximiliano Secundo, Dei gratia Romanorum Imperatore, Dominante Illustrissimo ac Excellentissimo Principe nostro Cosmo Medices Florentinorum atque Senensium Duce se-

ce ſecundo, ſummè feliciſſimo & inclyto pacis moderatore.

Ego Alexander f. Cap. Sebaſt. de Monticellis civis & Notarius pùblicus, ad præſens Cancellar. Archiepiſcopi die prædictis rogatus teſtor. Laus Deo.

* * *

Petrus Victorius, Italorum omnium, judice Oberto Giſanio Comm. in Eth. Ariſt. p. 617., doctiſſimus, (vid. & CL. Thomas Crenius Animadverſionum Philol. Hiſtor. P. III. c. II. p. 60.) in Epiſtola ad Johannem Albertum, Megapolenſium Ducem, Florentiæ V. Kal. Quinctil. Anno M. D. LXVII. data, quæ habetur inter Victorianas, unà cum Caſelianis editas, p. m. 62. ſeqq. edit. Francof. M. D. XCVII. in 8vo., ſequentibus Caſelium commendat:

Unus autem eorum eſt, qui nunc ad Te revertitur, Caſelius, vir optimus & inſignibus animi dotibus ornatus. Eum ego valdè diligo, ac meritò quidem facio: cùm enim ille raris quibusdam ingenii bonis inſtructus ſit; probitate ac verâ virtute

O 4 non

non inferior est aliquo: cepique ego ex ipsius consuetudine (vixit enim omni hoc tempore mecum satis familiariter) voluptatem incredibilem. Cùm verò ille mihi omnibus rebus semper probatus fuerit, inprimis amavi in eo fidem singularem, cupiditatemque ingentem tuæ voluntati commodisque omnibus viribus opibusque serviendi. Quod autem ad ingenii ipsius magnitudinem eruditionemque artium reconditarum facit, hoc est meum de illo judicium, ut cùm hâc nostrâ ætate Germania tulerit plures doctissimos viros, & qui ipsi magnum honorem laboribus suis pepererunt, sperem, hunc, si vixerit & persequi optima studia potuerit, parem ipsis laude ac gloria futurum. Neque ego nunc hoc dico, laudoque illum tibi, ut gratiæ aliquid honorisque ipsi apud te conciliem. Recordor enim, me cum prudentissimo Principe ac honestissimo loqui, apud quem nimis turpe foret mentiri; neque aliquid est, quod tàm à moribus meis alienum sit, quàm vanitas: sed ut animo meo satisfaciam, ac, quod intus habeo, liberè proferam. Cùm igitur scire cupias, qui publicè doce-

re

re iſtic humàniores litteras & ingenuas omnes artes queat, non video, qui melius, quàm Caſelius, ſuſtinere hanc perſonam poſſit. Cur autem, quod domi tuæ habes, aliunde petas? Nobiliſſimis enim quoque adoleſcentibus & ſummo loco natis poſſe hunc tradere idoneam diſciplinam, arbitror, vel potius cognitum & exploratum habeo. Nam & moribus eſt optimis, & libros etiam Ariſtotelis de vita ac moribus, nec non quos idem ſcripſit de optima republica, accuratè legit: ſententias autem ipſorum omnes eum cognitas ac valdè tritas habere, perſpexi ex crebro ſermone, quem inter nos habuimus de his gravibus ſtudiis, ſed plures etiam partes eorum librorum mecum diligenter ponderavit. &c.

Plura de Caſelio judicia legi poſſunt in Cl. Jac. Burckhardi, ad Celeb. Böhmerum, de Jo. Caſelii meritis, Epiſtola; quæ cùm ſcriptorum ſimul Caſelianorum recenſum complectatur ſatis accuratum, non ingratum Lectoribus fore putavi, ſi integra heîc illa exhiberetur.

DE

Viri Clarisſimi

IOANNIS CASELII

Præclaris erga bonas litteras meritis,

Ejusque

Lucubrationum

Magnopere deſiderata adhuc editione

EPISTOLA

Ad

Virum Celeberrimum

IVSTVM CHRISTOPHORVM BOEHMERVM,

Polit. & Eloqu. in Academia Julia Profeſſ. Meritiſſ.

SCRIPTA

à

IACOBO BVRCKHARD,

Sultzbaco-Palatino.

Vir Celeberrime,

Quotiescunq; mecum recordor, quanta humanitate quadriennio fere abhinc, cum ex academia Ienensi in inclitam Iuliam commigrarem, a TE sim exceptus, valde adhuc gaudeo: vehementius tamen lætandum puto, quando de singulari beneuolentia cogito, quam per tempus, quo ibi commoratus sum, in me contulisti, cum exigua studia mea quam maxime velles adiuta. Neque vero leues gaudendi caussas habere mihi videor, qui a doctoribus diligi multum mea interesse numquam non credidi. Biennium amplius est, cum Iulia relicta in Fridericianam abii; sed tantum abest, vt mihi tum fauere desieris, vt absentis etiam caussa TE non minus velle, multis posthac modis ostendere haud dubitaris. Equidem per litteras adhuc testificatum iui, quanti hunc TVVM in me æstimem fauorem: sed tamen officio non prius satisfacere me posse arbitratus sum, quam publice etiam declarassem, quantum TIBI ego sim deuinctus. Id præstandi defuit adhuc facultas, donec non ita pridem in bibliotheca Augusta quam plurimas

mas *Caselii* lucubrationes reperi, inter quas & eæ fuerant, quæ iamdudum a me erant quæsitæ. Iustus tum mihi iterum dolor incessit, quod scripta ista difficillime hodie inuenirentur, cum tamen nemo eruditorum sit, quin existimet, plurimum ex tanti viri monumentis exspectari posse vtilitatis, si in multorum essent manibus. Augebatur dolor hic, cum in animum reuocarem, quid TV, VIR CELEBERRIME, responderis mihi, vbi præclara TVA institutione adhuc fruens sciscitabar, an spes superesset, Caseliana collecta abs TE editum iri; qua spe multi hodieque tenentur, siquidem in academia Ienensi id sibi penitus persuadent. cuius rei *Cl. Iocbius* testis esse potest. *(a)* Editio Caselianorum scriptorum, respondebas mihi tum, optanda magis est, quam speranda; quo responso vehementer dolui, & licet dolorem numquam plane deposuerim: is tamen me tum maxime attigit rursus, cum scripta ista in laudata bibliotheca viderem, considerans, quam paucissimos esse, qui thesauro hoc perfrui hodie queant. Denique cum reputassem, quot clarissimi viri superiori sæculo fuerint, qui lucubrationes, quas *Case-*

(*a*) Prodr. biblioth. polit. pag. 32.

Caselius separatim quondam emisit, coniunctim edere proposuerint sibi, & ego de ipsa editione penitus ferme desperare cœpi, cum perpendissem simul, quid sit, cur ea toties frustra sit suscepta.

Vt igitur TIBI me plurimum debere publice testificandi nancïscerer occasionem, magni *Caselii* egregia erga bonas litteras merita in epistola ad TE scripta breui exponere, & de caussis simul, quæ prohibere videntur, quo minus scripta eius tam facile edi possint, quam multi fortasse sibi persuadent, agere constitui, ipsorum monumentorum, quotquot in diuersis bibliothecis inuestigare ac consequi licuit, catalogo adiecto. Id quidem mihi plane non sumo, vt tanti viri, quantus *Caselius* fuit, vitæ imaginem exprimam: maior ab illo requiritur eruditio, qui clari cuiusdam viri vitam digne conatur perscribere: id quod TE etiam antehac docere memini. *Camerarii* requiruntur, *Gassendi*, *Rigaltii*, *Caselii* dicendi silva desideratur atque vbertas. Neque longam viri laudationem conscribere animus est: vir ab summis ingeniis laudatus mea laude prorsus non indiget. Magnus *Casaubonus* laudibus eum ornare ne ausus quidem est, vtpote qui oneri

huic

huic ferendo imparem se putabat. (*b*) quare, si ego id conarer, temerarius maxime essem, tamque audax, vt nemo vmquam magis. Virtus per se consistens nusquam latet, ita, vt nullum prorsus praeconem desiderare videatur. Admirabilis etiam *Caselii* virtus, & magna ex ea orta gloria omnes cultioris Europæ partes ita peragrarunt, vt nullum tempus hanc obscurare, nedum exstinguere valuerit. Merita dumtaxat viri adumbraturus, neutiquam vero expressurus sum; idque etiam maxime ob caussam, vt obseruantiæ, qua TIBI, VIR celeberrime, obstrictus sum, publicum exstet specimen. Spe enim non ducor, *Caselii* gloriam leui hac mea epistola auctum iri, quæ tanta esse videtur, vt amplificari non queat. Scribendi hoc argumentum TIBI non ingratum fore, confido, cum non ignorem, quanti a TE fiat Caselianum nomen: etiamsi nihil prorsus protulero, quod TE fugiat. Quid enim eum, qui *Caselii* merita cognita penitus habet atque perspecta, qui eximia ingenii huius monumenta omnibus assidue commendare solet, hac in re fugere potest? Benigne itaque pro singulari TVA facilitate & pristina in me beneuolen-

(*b*) ep. 454. edit. Græu. 1656.

uolentia epistolam accipies. Non argumenti tractationem, sed scribentis respicies animum; cuius cum tenues admodum vires noueris, TE nihil, nisi quod tenue est atque exile, ab eo exspectaturum spero. satis habuero, si epistolam vt grati animi testem beneuole acceperis.

Caselii vitam pluribus me persecuturum esse negaui: etiamsi quam maxime id vellem, epistola istam minus caperet. Breuiter explicata est programmate publico, quo Prorector *Io. Sigfridus*, Medicinae Doctor, ad funus optimi viri efferendum academiae Iuliae ciues inuitauit. (*c*) hoc *Conradus Horneius*, gratus per complures annos *Caselii* discipulus, maximam partem excerptum nobis dedit: (*d*) qui antea in obitum grauissimi senis Graecum etiam carmen conscripserat, quo genus eius atque vitam designauit. (*e*) Eodem isto programmate vsus itidem est *Melchior Adamus*. Quaedam insuper de *Caselii* vita ac moribus ex idyllio Graeco, quod *Laurentius Rhodomanus* in natalem eius con-

(*c*) 1613. 4. Hoc *Cl. Iustus a Dransfeld Caselii* epistolis, quas edidit, praefixit (*d*) *Caselii* operibus politicis praemissum (*e*) *Cl. Dransfeld. Caselii* poematibus illud adiecit.

contexuit, (*f*) cognoſci poſſunt. Neque excellentes *Caſelii* virtutes multis verbis prædicandas decreui. Prædicatum eas iuit *Chriſtophorus Heidmanus* oratiuncula, quam in funere fidelis huius præceptoris ſui altero poſt exſequias die habuit. (*g*) Præter virtutem ſapientiam in viro laudat atque doctrinam; inter virtutes ſingularem pietatem eluxiſſe confirmans, quam hodieque ardentiſſimæ ipſius preces, ac meditationes piæ maxime quodammodo teſtari queunt, quas & Græce & Latine vario carminis genere componere conſueuit, cuiusmodi idem *Heidmanus* collectas edidit. (*h*) Ex pietate plurimæ promanarunt virtutes aliæ: hæc effecit, vt triſtiores caſus, qui ei in extrema etiam ſenectute contigerunt, fortiter ferens in diuina acquieuerit voluntate. Sic optimorum, quos ſuperſtites adhuc habebat, filiorum, *Ioannis Vlrici*, & *Ioannis Caroli*, tulit obitum: quorum vterque ingenio fuerat ſingulari, ita in litteris educatus, vt parentis exſpectationi abunde ſatisfeciſſet: Germania Italiaque peragrata tantam ſibi comparauerant doctrinam, vt nihil reſtare am-

(*f*) Witteb. 1602. 4. (*g*) Helmſt. 1613. 4. (*h*) ib. 1625, & 1634. 12.

amplius videretur, quam vt de patria bene mererentur, & parens operum spectator esset. *Io. Carolus* decessit, cum pater octogesimum prope ingressus erat annum, qui morte hac nihil acerbius vmquam sibi accidisse, fassus est: (*i*) in tanta tamen mœstitia summi imperatoris se subiecit decreto. Modestia porro in viro summa fuit, & singularis plane vitæ integritas: hanc in *Caselio* miratus semper est *Iosephus Scaliger*, (*k*) præsertim cum in Germanis maxime eam desideraret. Per duas eximias has virtutes invidiam, quæ virtutem, vt corpus vmbra, sequitur, vicit, harum ope inimicos superavit, eorumque propulsauit impetus. Humanitas etiam eius incredibilis fuisse dicitur: enimuero litteras, quæ ab humanitate nomen habent, docens commissurus non erat, vt inhumanus cuipiam videretur. Quam humaniter hospites, non ex Germania solum, sed e nulla non Europæ partium ipsum conuenientes, exceperit, multi testes produci possent: & domus & animus viri patebat istis. Breuitati cum stu-

P deam,

(*i*) ep. ad *Adolph. Frid.* & *Io. Albert.* Duces Megap. orat. funebr. *Andr. Mylii* præf. (*k*) ep. 272. p. 566. edit. Elzeuir.

ſet, vtpote cui conſuetudine eius decem, amplius annos vti licuit, per quod temporis ſpatium vitam atque mores penitus potuit inſpicere.

Prius tamen, quam præclara *Caſelii* noſtri in bonas literas adumbrem merita, ac ſummorum virorum de exquiſita eius doctrina adferam teſtimonia, non ab re fore arbitror, ſi tempus, quo clarum hoc Germaniæ lumen, exortum ſit, vno verbo adnotauero, oſtendens ſimul, ſub quibus magiſtris tantum accreuerit. Gœttinga ſatis celebris Saxoniæ huius inferioris ciuitas anno CIↃ IↃXXXIII, XV. Kal. Iun. lumen hoc protulit, quæ parenti, *Matthiæ Caſelio*, cuius maiores nobilitate generis atque gloria in Geldria maxime olim floruerant, tutus exſtiterat portus, poſtquam ob funeſta religionis diſſidia, vt turbulenta tum erant tempora, in remotiſſimis regionibus diu exſulaſſet. Teneræ ætatis primum, deinde animarum curam commiſerat ei ciuitas hæc, quam, quoad vixit, fideliter ſuſtinuit. Hic prout nihil intermittebat, quo optimi Ioannis ſui, qui filius erat natu maximus, conſuleret ſaluti, omnibus doctrinis, quibus tenera ætas impertiri debet, erudiendum eum curauit,

nihil magis exoptans, quam vt illorum maxime, qui ipſa doctrina ſcribendique facultate clarum adepti fuerant nomen, ſimilis olim euaderet. *Melanchthonem* ob eam rem, *Camerarium* atque *Sturmium* quotidie in ore habebat, quorum fama filius adfici iamtum videbatur. Infelicem vero hic exiſtimauit ſe poſtea, quam intellexit, ſe puerum in probos quidem, nec tamen doctos ſatis ſollertesque incidiſſe magiſtros, qui diſcipulis minus neceſſaria, & quæ nullius momenti, inculcare, eosque in rebus, quas pueri vno menſe, & paruo etiam negotio cognoſcere potuiſſent, annos retinere conſueuerant. Prima tamen litterarum rudimenta ſe commode ſatis in Gandersheimenſi ludo, cuius moderator *Chriſtophorus Noricus* tum fuerat, ſe didiciſſe, ſemper poſthac lætatus eſt. Illum enim, qui ab infantia neceſſaria quæque recte nos doceat, magnam mereri gratiam, laudemque ſingularem apud intelligentes inuenire, opinabatur: cuius ſententiæ adeo pertinax erat, vt qui pueros clare & diſtincto ſono litteras pronunciare, & earumdem figuras minus ſordide pingere doceat, præmium præ aliis, aut certe non tenue, decernendum ei iudicaret,

caret, sæpius deplorans, huic muneri vilissimum quemque præfici, & bona, quæ maximum vsum habeant, in minimis censeri; quo calligraphiam referebat: cuius participem se non fuisse, vehementer doluit. hinc enim factum esse dicit, (n) vt in scribendo minus creber aliena plerumque manu vti debuerit. Misit denique pater optimum prolem Northusam, vt ibi *Basilii Fabri*, & *Michaelis Neandri*, clarissimorum virorum, vteretur institutione. quorum hic Ilfeldianum postea monasterium probitate sua singularique doctrina mirum in modum illustrauit, cum ibi excellenti sua, qua vtebatur, docendi ratione tantum, *Caselio* testante, profecisset, vt Neandrici, quando in academias veniebant, plerisque statim aliis præstarent. talis inprimis fuerat modo laudatus *Rhodomanus*, quem cum priscis & elegantissimis ingeniis comparandum censuit *Caselius*. Hic quidem *Caselius* noster & *Fabro* & *Neandro* multum se debere professus est; sed, quod vehementer doluit, ante tempus a patre in re necessaria domum est reuocatus, ita, vt Græcæ linguæ non tam cognitionem, quam amorem,

 quod

(n) ep. ad *Io. Reccium*. C. 2. b.

quod rei tamen principum est, secum referret. Vtraque denique lingua sic cognita, vt ad Græca studio adspiraret suo, Latina intelligeret, in academias cogitauit, postquam in patriæ etiam gymnasio, quod tum instituí cœperat, per tempus fuerat versatus. Wittebergam primum abiit, *Melanchthonis* præcipue excitatus fama, vbi magno huic viro ac reliquis academiæ doctoribus gratus semper fuit acceptusque. Id, cum maturiori esset iudicio, ægre maxime tulit, se nimium pudorem, qui nemini vsui esset, in academiam secum tulisse: prohibuisse enim hunc, vt neminem de tractandis studiis suis consuluerit. Præter *Melanchthonem* in academia hac præ ceteris admiratus est *Vitum Vinsamium* atque *Georgium Cracouium*, quorum vtrumque Græcos scriptores frequenti admodum auditorio interpretatum esse, dicit. (*o*) Cum futuræ gloriæ suæ firma satis fundamenta Wittebergæ iecisset, Lipsiã commigrauit, vt magni *Camerarii* etiam frueretur eruditione. Atque ita duo obtigerunt *Caselio* doctores, vt si ipse fingere eos voluisset, neque perfectiores reminisci, neque meliores potuisset consequi. quod ipse opti-

(*o*) in Νέῳ E. 4. b.

optime cognouit, quando *Melanchthonem* atque *Camerarium* viros nominat, qui virtute atque litteris ita excelluerint, vt omnium, quos Germania vmquam doctos protulit, vere appellentur principes. illum enim tanta fuisse doctrina, fide, bonitate, animique moderatione, confirmat, (*p*) vt communis Germaniæ præceptor meritissimo vsurpetur: hunc vero cum ob variæ, bonæ, ac elegantis doctrinæ diuitias, tum ob grauitatem morum, consiliique copiam magnum iure cognominari. (*q*) Vtriusque eximia erga meliores litteras merita carminibus prædicauit, quæ in obitum eorum pro singulari sua in præceptores pietate & Græcè & Latine composuit (*r*)

Postquam Francofurti etiam ad Oderam atque Rostochii in litteras incubuisset, & doctorum in vtraque academia conciliasset sibi fauorem, quem *Ioannes Bocerus*, Rostochiensis professor, peculiari elegia declarauit: (*ſ*) Musas vltra Alpes habitantes inuisere constituit, iubente id in primis *Io. Alberto*, Duce

(*p*) epitaph. *Borchold.* A 3. (*q*) in Νέῳ E 3. (*r*) illius carmine Latino, *ταμείας* inscr. prolegom. in Thucyd. interpr. adiect. huic epitaphium Græce conscripsit Witteb. 1560. 4. (*ſ*) eid. epitaph. addita est.

Megapol. qui gentes ſuas ad humanitatem atque litteras magis perduxiſſe videtur, poſtquam cum fratre *Vlrico* Roſtochienſem academiam reſtaurauit, quæ iniquitate ſuperiorum temporum pæne collapſa diu ſatis neglecta iacuerat. Ducis huius erga litteras munificentiſſimi clementiam ingenii quodam ſpecimine comparauerat ſibi *Caſelius*. nam cum optimus princeps, prout prudens ingeniorum cenſor erat, elegans eius ingenium ex ſpecimine iſto cognouiſſet, fouendum id decreuit. quemadmodum adoleſcentem in ſuis poſthac aluit, nihil plane, quod ad ſtudia opus erat, ei denegans Fecit tum *Caſelius*, quod obſequentiſſimum decet clientem; vtpote qui abundè deinceps commonſtrabat, beneficia iſta a principe melius collocari non potuiſſe. quod *Camerarius* etiam cum aliis principi perſuaſerat, (*t*) comprobans, ipſum ex *Caſelii* moderatione, humanitate, doctrinæ eruditione magnam percepturum eſſe voluptatem. Gratum animum erga magnum hunc euergetam ſuum perpetuo oſtendit, in cuius laudem duas poſt obitum eius orationes confecit, quibus eum vt illuſtre boni principis exem-

(*t*) ep. famil. p. 7. edit. Wechel. 1583. 8.

exemplum proponit. (u) Cum igitur benignissimus princeps clientis huius sui studia omni modo adiuta vellet, isti, vt in Italiam abiret, suaserat; ibi enim illa, quæ in tot Germaniæ academiis didicisset, confirmari atque adaugeri posse existimabat. An voluntati principis hac in re obtemperandum esset, tantum abest, vt *Caselius* diu deliberarit, vt summa cum lætitia opportunam hanc studiis suis consulendi occasionem arripuerit; qui non ignorabat, quantum peregrinationes tempestiue atque prudenter susceptæ adferrent vtilitatis: homines scilicet non elegantiores modo, sed ad vitæ etiam officia promptiores istis reddi, sciebat. Nec fugiebat eum, Italiam humanæ sapientiæ, ipsiusque humanitatis domicilium tum haberi, ex quo & morum & orationis elegantia, grauitas in vita, constantia animi, ac prudentiæ plurimum referri posset. Hanc regionem qui viseret, is *Caselii* tempore præclare rebus suis prospicere putabatur; qui ex aduerso istam neque vidisset, neque cognouisset, eum de orbe terrarum, & vita hominum neque accepisse, neque intelligere quicquam, credebant.

(u) vid. infra, vbi de scriptis Caselianis agitur.

Prius vero quam iter hoc suum ingrederetur *Caselius*, vt academiæ Wittebergensi, in qua philosophiæ magister renunciatus erat, gratum se præberet, elegiam ad academiam, amicos, atque comites edidit, qua discedens istos valere iussit. *(v)*

Ingens, ipso *Caselio* fatente, (*x*) felicitas est, magistrum inuenire, qui, quarum rerum sitientissimi sumus, eas & sibi sciat, & dextre nobiscum possit communicare. Cum illum, qui litteras male didicerit, easque minus recte tradere queat, quos erudiendos suscepit, vel sui similes, vel deteriores reddere necesse sit. *Caselius* igitur felicissimus putandus est, qui, postquam in Germania *Melanchthonem* atque *Camerarium*, summos viros, studiorum nactus fuerat moderatores, in Italia viros quoque invenerit, qui istos doctrinæ humanitatisque studio, si non superare, æquiparare certe videbantur. Cum in Italiam venisset, legum quidem studium minime neglexit, præsertim tum, cum Bononiæ commoraretur; vbi studium hoc maxime adhuc florebat, cum iam ante doceri ibi cœpisset, quam

(*v*) Witteb. 1560. 4. cum epitaph. *Melanch.*
(*x*) proleg. in Ethic. Arist. interpr. C 4.

quam humaniores litteræ renaſcerentur. verumtamen cum genius, ſiue inueterata iam cogitatio ipſum haud deſeruiſſet, illos cum primis Bononiæ adibat, quos doctrina dicendique facultate præſtare audiuerat. Princeps horum *Carolus Sigonius* fuit, qui etſi facundia valere credebatur, & egregius humanitatis fuerat cultor, cuius monumenta puro & magnifico ſtilo ſcripta eſſent. tali tamen eum in docendo infantia, qualem ſchola facile reſpuat, fuiſſe, *Caſelius* aſſerit; (y) qui *Franciſcum* etiam *Robortellum*, acerrimum *Sigonii* inimicum, auditores promiſſis potius tenentem, quam doctrinæ vbertate erudientem cognouerat: actione de reliquo atque memoria hunc valuiſſe, dicit, (z) vt cum admiratione omnium peroraret. Poſtquam Bononiæ *Sigonio* carus admodum per tempus vixerat *Caſelius*, Florentiam diſceſſit, *Victorii* potiſſimum gloria permotus. cuius excellentem doctrinam *Daniel Schulenburgius*, qui ei cum aliis duobus Germanis operam tum dabat, *Caſelio* ita per litteras prædicarat, vt ad vlteriorem

(y) ep. ad *Andr. Mylium*, in coll. *Dransfeld.* pag. 653. (z) ibid. & in Rhetore, pag. 56. edit. *Hornei*.

rem peregrinationem accinćto iam perſuaſerit, vt conſilio mutato Florentiam ſeſe conferret. Erant ſcilicet *Caſelii* ætate in amplisſimis Italiæ vrbibus academiæ, ubi Latinæ & Græcæ litteræ cum quibusdam philoſophiæ partibus accurate docebantur. Sic *Petrus Victorius* Florentiæ, quæ ad expoliendam linguam humanitatemque ſpectabant, tum docebat. cuius domus vti privatum Lyceum a ciuibus & peregrinis, adultioris iam ætatis, frequentabatur: publico enim loco, cum vir ex prima nobilitate eſſet atque ſenator, lectiones inſtituebat nullas. Germani mirifice virum hunc ſuſpiciebant, quem litteras non ad vtilitatem aut gloriam ſuam, ſed ad amplisſimos humanæ vitæ vſus docere nouerant: quos viciſſim præ ceteris gentibus magni etiam faciebat *Victorius*, qui multos eorum fortes repererat, veraces conſtantesque, & ipſius virtutis cultores maximos. ob inſignes has animi dotes noſtrum in primis *Caſelium* dilexit; cuius cum rara ingenii bona & ſuauiſſimos mores perſpexiſſet, familiariter eo vti cœpit, ex conſuetudine ipſius incredibilem capiens voluptatem. Nulla tamen alia re *Caſelius* magis ſe commendauerat *Victorio*, quam Græcæ lin-

linguæ notitia: hac ad tanti viri cognitionem aditum facillime patefecit sibi munivitque. Quanti clarissimum hoc Italiæ sidus ingenium & reconditam *Caselii* eruditionem æstimarit, epistolæ, quas ad ipsum aliosque Germanos scripsit, optime adhuc testantur. Etsi Germania sæculo isto plures doctissimos viros protulerat, qui patriæ magnum honorem laboribus suis pepererunt: laude tamen atque gloria *Caselium* parem istis futurum, *Victorius* iam tum prædixerat. (*a*) quæ coniectura eum plane non fefellit. Neque vero *Caselius Victorium* non celebrauit, nulla non occasione commonstrans, quantum ei deberet: virtutes eius & amplissima in rem litterariam merita posteritati commendauit elogia, quod defuncto conscripsit. Cum *Victoriũ* hunc suum audire cœpisset *Caselius*, multa, quæ ab initio scire & sequi oportuisset, nescire se, intelligebat. quare in alterum etiam annum præstantissimo hoc doctore vsus est. Italiam tum peragrauit, vnde ingenii opibus onustus in Germaniam denique reuersus, magnum *Camerarium* iterum salutavit, ex quo solo pæne viro, quæ ad interio-

res

(*a*) lib. II. e p. 6. p. 63. edit. Francof.

res litteras pertinerent, disci tum potuisse, ex familiari eius sermone cognouit; id quod inexploratum ipsi antea fuerat. enimuero ætas *Caselium* audaciorem nunc faciebat, vt homines propius inspiceret, diuinum plane agnoscens beneficium, se iuuenem Italiam adiisse, vbi non anni magis, quam exempla ipsum erudiuerant. Cum magno hoc *Camerario*, cuius verbis atque exemplo se valde confirmatum fatetur, (*b*) & ætate, & statu corporis, & sermone, & bonitate & varietate optimarum disciplinarum, & seueritate vitæ *Victorium* comparauit *Caselius*; nullam tamen æmulationem reuera inter ipsos fuisse, putat, nisi quis æmulationem dixerit, quod cum *Victorius* in monumentis *Camerarii* vidisset passim, eum in mathematicis disciplinis progressum esse, quod hospites e Germania de eo etiam confirmabant, ipse sexagenario maior ad relicta in adolescentia studia se retulerit, vt quotidie eo nomine virum litteris istis pereruditum adiret; denique etiam *Hipparchi* quædam, & alia non publicata ante, *Achillis Statii*, eodem facientia ederet. Ex tanta vitæ studiorumque similitudine veram inter ipsos natam esse

(*b*) πολιτευσ. pag. 217, 218, edit. *Hornei*.

esse amicitiam, inquit *Caselius*, (c) & tam constantem animorum conjunctionem, vt alter de alterius virtute præclare recteque sentiret, & alter alterum exquisitis laudibus affectum suspiceret.

In commemorandis *Caselii* præceptoribus longior paullo fui: adducendos eos putaui, vt appareret, quanta vir hac in re vsus sit felicitate. siquidem, vt iam dixi, magnum omnino est, quos in quolibet doctrinæ genere duces habeamus. id quod summum iudicauit ipse *Caselius*, & eo maius, quo rarius & sapientiæ cultori optabilius id esset. Facilius etiam de doctrina eius iudicari nunc posse arbitror, quando ex superioribus patet, tantos eum habuisse doctores vt, qui tam excellentibus animi ingeniique dotibus exornatus erat, non doctus fieri non potuerit. *Caselio* igitur sub præstantissimis istis ducibus tam bene formato, & peregrinatione exculto maxime, nihil deesse nunc videbatur, præter bene merendi facultatem. hanc Rostochii inuenit amplissimam. Nam cum ex Italia ad Principem *Io. Albertum*, suum & communem Musarum patronum, rediens, eruditionis specimen

(c) elog. *Bartol, Richii* A 2. b.

contexuit, (*f*) cognosci possunt. Neque excellentes *Caselii* virtutes multis verbis prædicandas decreui. Prædicatum eas iuit *Christophorus Heidmanus* oratiuncula, quam in funere fidelis huius præceptoris sui altero post exsequias die habuit. (*g*) Præter virtutem sapientiam in viro laudat atque doctrinam; inter virtutes singularem pietatem eluxisse confirmans, quam hodieque ardentissimæ ipsius preces, ac meditationes piæ maxime quodammodo testari queunt, quas & Græce & Latine vario carminis genere componere consueuit, cuiusmodi idem *Heidmanus* collectas edidit. (*h*) Ex pietate plurimæ promanarunt virtutes aliæ: hæc effecit, vt tristiores casus, qui ei in extrema etiam senectute contigerunt, fortiter ferens in diuina acquieuerit voluntate. Sic optimorum, quos superstites adhuc habebat, filiorum, *Ioannis Vlrici*, & *Ioannis Caroli*, tulit obitum: quorum vterque ingenio fuerat singulari, ita in litteris educatus, vt parentis exspectationi abunde satisfecisset: Germania Italiaque peragrata tantam sibi comparauerant doctrinam, vt nihil restare am-

(*f*) Witteb. 1602. 4. (*g*) Helmst. 1613. 4. (*h*) ib. 1625, & 1634. 12.

amplius videretur, quam vt de patria bene mererentur, & parens operum ſpectator eſſet. *Io. Carolus* deceſſit, cum pater octogeſimum prope ingreſſus erat annum, qui morte hac nihil acerbius vmquam ſibi accidiſſe faſſus eſt: (*i*) in tanta tamen mœſtitia ſummi imperatoris ſe ſubiecit decreto. Modeſtia porro in viro ſumma fuit, & ſingularis plane vitæ integritas: hanc in *Caſelio* miratus ſemper eſt *Ioſephus Scaliger*, (*k*) præſertim cum in Germanis maxime eam deſideraret. Per duas eximias has virtutes inuidiam, quæ virtutem, vt corpus vmbra, ſequitur, vicit, harum ope inimicos ſuperauit, eorumque propulſauit impetus. Humanitas etiam eius incredibilis fuiſſe dicitur: enimuero litteras, quæ ab humanitate nomen habent, docens commiſſurus non erat, vt inhumanus cuipiam videretur. Quam humaniter hoſpites, non ex Germania ſolum, ſed e nulla non Europæ partium ipſum conuenientes, exceperit, multi teſtes produci poſſent: & domus & animus viri patebat iſtis. Breuitati cum ſtu-

(*i*) ep. ad *Adolph. Frid.* & *Io. Albert.* Duces Megap. orat. funebr. *Andr. Mylii* præf. (*k*) ep. 272. p. 566. edit. Elzeuir.

ſet, vtpote cui conſuetudine eius decem amplius annos vti licuit, per quod temporis ſpatium vitam atque mores penitus potuit inſpicere.

Prius tamen, quam præclara *Caſelii* noſtri in bonas literas adumbrem merita, ac ſummorum virorum de exquiſita eius doctrina adferam teſtimonia, non ab re fore arbitror, ſi tempus, quo clarum hoc Germaniæ lumen, exortum ſit, vno verbo adnotauero, oſtendens ſimul, ſub quibus magiſtris tantum accreuerit. Gœttinga ſatis celebris Saxoniæ huius inferioris ciuitas anno CIↃ IↃXXXIII, XV. Kal. Iun. lumen hoc protulit, quæ parenti, *Matthiæ Caſelio*, cuius maiores nobilitate generis atque gloria in Geldria maxime olim floruerant, tutus exſtiterat portus, poſtquam ob funeſta religionis diſſidia, vt turbulenta tum erant tempora, in remotiſſimis regionibus diu exſulaſſet. Teneræ ætatis primum, deinde animarum curam commiſerat ei ciuitas hæc, quam, quoad vixit, fideliter ſuſtinuit. Hic prout nihil intermittebat, quo optimi Ioannis ſui, qui filius erat natu maximus, conſuleret ſaluti, omnibus doctrinis, quibus tenera ætas impertiri debet, erudiendum eum curauit,

 nihil

nihil magis exoptans, quam vt illorum maxime, qui ipsa doctrina scribendique facultate clarum adepti fuerant nomen, similis olim euaderet. *Melanchthonem* ob eam rem, *Camerarium* atque *Sturmium* quotidie in ore habebat, quorum fama filius adfici iamtum videbatur. Infelicem vero hic existimauit se postea, quam intellexit, se puerum in probos quidem, nec tamen doctos satis sollertesque incidisse magistros, qui discipulis minus necessaria, & quæ nullius momenti, inculcare, eosque in rebus, quas pueri vno mense, & paruo etiam negotio cognoscere potuissent, annos retinere consueuerant. Prima tamen litterarum rudimenta se commode satis in Gandersheimensi ludo, cuius moderator *Christophorus Noricus* tum fuerat, se didicisse, semper posthac lætatus est. Illum enim, qui ab infantia necessaria quæque recte nos doceat, magnam mereri gratiam, laudemque singularem apud intelligentes inuenire, opinabatur: cuius sententiæ adeo pertinax erat, vt qui pueros clare & distincto sono litteras pronunciare, & earumdem figuras minus sordide pingere doceat, præmium præ aliis, aut certe non tenue, decernendum ei iudi-

caret,

caret, sæpius deplorans, huic muneri vilissimum quemque præfici, & bona, quæ maximum vsum habeant, in minimis censeri; quo calligraphiam referebat: cuius participem se non fuisse, vehementer doluit. hinc enim factum esse dicit, (*n*) vt in scribendo minus creber aliena plerumque manu vti debuerit. Misit denique pater optimum prolem Northusam, vt ibi *Basilii Fabri*, & *Michaelis Neandri*, clarissimorum virorum, vteretur institutione. quorum hic Ilfeldianum postea monasterium probitate sua singularique doctrina mirum in modum illustrauit, cum ibi excellenti sua, qua vtebatur, docendi ratione tantum, *Caselio* testante, profecisset, vt Neandrici, quando in academias veniebant, plerisque statim aliis præstarent. talis inprimis fuerat modo laudatus *Rhodomanus*, quem cum priscis & elegantissimis ingeniis comparandum censuit *Caselius*. Hic quidem *Caselius* noster & *Fabro* & *Neandro* multum se debere professus est; sed, quod vehementer doluit, ante tempus a patre in re necessaria domum est reuocatus, ita, vt Græcæ linguæ non tam cognitionem, quam amorem,

 quod

(*n*) ep. ad *Io. Reccium*. C. 2. b.

quod rei tamen principum est, secum referret. Vtraque denique lingua sic cognita, vt ad Græca studio adspiraret suo, Latina intelligeret, in academias cogitauit, postquam in patriæ etiam gymnasio, quod tum institui cœperat, per tempus fuerat versatus. Wittebergam primum abiit, *Melanchthonis* præcipue excitatus fama, vbi magno huic viro ac reliquis academiæ doctoribus gratus semper fuit acceptusque. Id, cum maturiori esset iudicio, ægre maxime tulit, se nimium pudorem, qui nemini vsui esset, in academiam secum tulisse: prohibuisse enim hunc, vt neminem de tractandis studiis suis consuluerit. Præter *Melanchthonem* in academia hac præ ceteris admiratus est *Vitum Vinsemium* atque *Georgium Cracouium*, quorum vtrumque Græcos scriptores frequenti admodum auditorio interpretatum esse, dicit. (*o*) Cum futuræ gloriæ suæ firma satis fundamenta Wittebergæ iecisset, Lipsiã commigrauit, vt magni *Camerarii* etiam frueretur eruditione. Atque ita duo obtigerunt *Caselio* doctores, vt si ipse fingere eos voluisset, neque perfectiores reminisci, neque meliores potuisset consequi. quod ipse opti-

(*o*) in Νέῳ E. 4. b.

optime cognouit, quando *Melanchthonem* atque *Camerarium* viros nominat, qui virtute atque litteris ita excelluerint, vt omnium, quos Germania vmquam doctos protulit, vere appellentur principes. illum enim tanta fuisse doctrina, fide, bonitate, animique moderatione, confirmat, (*p*) vt communis Germaniæ præceptor meritissimo vsurpetur: hunc vero cum ob variæ, bonæ, ac elegantis doctrinæ diuitias, tum ob grauitatem morum, consiliique copiam magnum iure cognominari. (*q*) Vtriusque eximia erga meliores litteras merita carminibus prædicauit, quæ in obitum eorum pro singulari sua in præceptores pietate & Græcè & Latine composuit (*r*)

Postquam Francofurti etiam ad Oderam atque Rostochii in litteras incubuisset, & doctorum in vtraque academia conciliasset sibi fauorem, quem *Ioannes Bocerus*, Rostochiensis professor, peculiari elegia declarauit: (*ſ*) Musas vltra Alpes habitantes inuisere constituit, iubente id in primis *Io. Alberto*, Duce

P 4 Mega-

(*p*) epitaph. *Borchold.* A 3. (*q*) in Νέῳ E 3. (*r*) illius carmine Latino, ταμείας inscr. prolegom. in Thucyd. interpr. adiect. huic epitaphium Græce conscripsit Witteb. 1560. 4. (*ſ*) eid. epitaph. addita est.

exemplum proponit. (*u*) Cum igitur benignissimus princeps clientis huius sui studia omni modo adiuta vellet, isti, vt in Italiam abiret, suaserat; ibi enim illa, quæ in tot Germaniæ academiis didicisset, confirmari atque adaugeri posse existimabat. An voluntati principis hac in re obtemperandum esset, tantum abest, vt *Caselius* diu deliberarit, vt summa cum lætitia opportunam hanc studiis suis consulendi occasionem arripuerit; qui non ignorabat, quantum peregrinationes tempestiue atque prudenter susceptæ adferrent vtilitatis: homines scilicet non elegantiores modo, sed ad vitæ etiam officia promptiores istis reddi, sciebat. Nec fugiebat eum, Italiam humanæ sapientiæ, ipsiusque humanitatis domicilium tum haberi, ex quo & morum & orationis elegantia, grauitas in vita, constantia animi, ac prudentiæ plurimum referri posset. Hanc regionem qui viseret, is *Caselii* tempore præclare rebus suis prospicere putabatur; qui ex aduerso istam neque vidisset, neque cognouisset, eum de orbe terrarum, & vita hominum neque accepisse, neque intelligere quicquam, credebant.

(*u*) vid. infra, vbi de scriptis Caselianis agitur.

Prius vero quam iter hoc suum ingrederetur *Caselius*, vt academiæ Wittebergensi, in qua philosophiæ magister renunciatus erat, gratum se præberet, elegiam ad academiam, amicos, atque comites edidit, qua discedens istos valere iussit. *(v)*

Ingens, ipso *Caselio* fatente, *(x)* felicitas est, magistrum inuenire, qui, quarum rerum sitientissimi sumus, eas & sibi sciat, & dextre nobiscum possit communicare. Cum illum, qui litteras male didicerit, easque minus recte tradere queat, quos erudiendos suscepit, vel sui similes, vel deteriores reddere necesse sit. *Caselius* igitur felicissimus putandus est, qui, postquam in Germania *Melanchthonem* atque *Camerarium*, summos viros, studiorum nactus fuerat moderatores, in Italia viros quoque invenerit, qui istos doctrinæ humanitatisque studio, si non superare, æquiparare certe videbantur. Cum in Italiam venisset, legum quidem studium minime neglexit, præsertim tum, cum Bononiæ commeraretur; vbi studium hoc maxime adhuc florebat, cum iam ante doceri ibi cœpisset, quam

(v) Witteb. 1560. 4. cum epitaph. *Mēlanch.*
(x) proleg. in Ethic. Arist. interpr. C 4.

quam humaniores litteræ renascerentur. verumtamen cum genius, siue inueterata iam cogitatio ipsum haud deseruisset, illos cum primis Bononiæ adibat, quos doctrina dicendique facultate præstare audiuerat. Princeps horum *Carolus Sigonius* fuit, qui etsi facundia valere credebatur, & egregius humanitatis fuerat cultor, cuius monumenta puro & magnifico stilo scripta essent. tali tamen eum in docendo infantia, qualem schola facile respuat, fuisse, *Caselius* asserit; (*y*) qui *Franciscum* etiam *Robortellum*, acerrimum *Sigonii* inimicum, auditores promissis potius tenentem, quam doctrinæ vbertate erudientem cognouerat: actione de reliquo atque memoria hunc valuisse, dicit, (*z*) vt cum admiratione omnium peroraret. Postquam Bononiæ *Sigonio* carus admodum per tempus vixerat *Caselius*, Florentiam discessit, *Victorii* potissimum gloria permotus. cuius excellentem doctrinam *Daniel Schulenburgius*, qui ei cum aliis duobus Germanis operam tum dabat, *Caselio* ita per litteras prædicarat, vt ad vlteriorem

(*y*) ep. ad *Andr. Mylium*, in coll. *Dransfeld.* pag. 653. (*z*) ibid. & in Rhetore, pag. 56. edit. *Hornei*.

rem peregrinationem accincto iam persuaserit, vt consilio mutato Florentiam sese conferret. Erant scilicet *Caselii* ætate in amplissimis Italiæ vrbibus academiæ, vbi Latinæ & Græcæ litteræ cum quibusdam philosophiæ partibus accurate docebantur. Sic *Petrus Victorius* Florentiæ, quæ ad expoliendam linguam humanitatemque spectabant, tum docebat. cuius domus vti privatum Lyceum a ciuibus & peregrinis, adultioris iam ætatis, frequentabatur: publico enim loco, cum vir ex prima nobilitate esset atque senator, lectiones instituebat nullas. Germani mirifice virum hunc suspiciebant, quem litteras non ad vtilitatem aut gloriam suam, sed ad amplissimos humanæ vitæ vsus docere nouerant: quos vicissim præ ceteris gentibus magni etiam faciebat *Victorius*, qui multos eorum fortes repererat, veraces constantesque, & ipsius virtutis cultores maximos. ob insignes has animi dotes nostrum in primis *Caselium* dilexit; cuius cum rara ingenii bona & suauissimos mores perspexisset, familiariter eo vti cœpit, ex consuetudine ipsius incredibilem capiens voluptatem. Nulla tamen alia re *Caselius* magis se commendauerat *Victorio*, quam Græcæ lin-

linguæ notitia: hac ad tanti viri cognitionem aditum facillime patefecit sibi munivitque. Quanti clarissimum hoc Italiæ sidus ingenium & reconditam *Caselii* eruditionem æstimarit, epistolæ, quas ad ipsum aliosque Germanos scripsit, optime adhuc testantur. Etsi Germania sæculo isto plures doctissimos viros protulerat, qui patriæ magnum honorem laboribus suis pepererunt: laude tamen atque gloria *Caselium* parem istis futurum, *Victorius* iam tum prædixerat. (*a*) quæ coniectura eum plane non fefellit. Neque vero *Caselius Victorium* non celebrauit, nulla non occasione commonstrans, quantum ei deberet: virtutes eius & amplissima in rem litterariam merita posteritati commendauit elogia, quod defuncto conscripsit. Cum *Victoriū* hunc suum audire cœpisset *Caselius*, multa, quæ ab initio scire & sequi oportuisset, nescire se, intelligebat. quare in alterum etiam annum præstantissimo hoc doctore vsus est. Italiam tum peragrauit, vnde ingenii opibus onustus in Germaniam denique reuersus, magnum *Camerarium* iterum salutavit, ex quo solo pæne viro, quæ ad interiores

(*a*) lib. II, e p. 6, p. 63, edit. Francof.

res litteras pertinerent, disci tum potuisse, ex familiari eius sermone cognouit; id quod inexploratum ipsi antea fuerat. enimuero ætas *Caselium* audaciorem nunc faciebat, vt homines propius inspiceret, diuinum plane agnoscens beneficium, se iuuenem Italiam adiisse, vbi non anni magis, quam exempla ipsum erudiuerant. Cum magno hoc *Camerario*, cuius verbis atque exemplo se valde confirmatum fatetur, (*b*) & ætate, & statu corporis, & sermone, & bonitate & varietate optimarum disciplinarum, & seueritate vitæ *Victorium* comparauit *Caselius*; nullam tamen æmulationem reuera inter ipsos fuisse, putat, nisi quis æmulationem dixerit, quod cum *Victorius* in monumentis *Camerarii* vidisset passim, eum in mathematicis disciplinis progressum esse, quod hospites e Germania de eo etiam confirmabant, ipse sexagenario maior ad relicta in adolescentia studia se retulerit, vt quotidie eo nomine virum litteris istis pereruditum adiret; denique etiam *Hipparchi* quædam, & alia non publicata ante, *Achillis Statii*, eodem facientia ederet. Ex tanta vitæ studiorumque similitudine veram inter ipsos natam esse

(*b*) πολιτευσ. pag. 217, 218, edit. *Hornei*.

esse amicitiam, inquit *Caselius*, (c) & tam constantem animorum coniunctionem, vt alter de alterius virtute præclare recteque sentiret, & alter alterum exquisitis laudibus affectum suspiceret.

In commemorandis *Caselii* præceptoribus longior paullo fui: adducendos eos putaui, vt appareret, quanta vir hac in re vsus sit felicitate. siquidem, vt iam dixi, magnum omnino est, quos in quolibet doctrinæ genere duces habeamus. id quod summum iudicauit ipse *Caselius*, & eo maius, quo rarius & sapientiæ cultori optabilius id esset. Facilius etiam de doctrina eius iudicari nunc posse arbitror, quando ex superioribus patet, tantos eum habuisse doctores vt, qui tam excellentibus animi ingeniique dotibus exornatus erat, non doctus fieri non potuerit. *Caselio* igitur sub præstantissimis istis ducibus tam bene formato, & peregrinatione exculto maxime, nihil deesse nunc videbatur, præter bene merendi facultatem. hanc Rostochii inuenit amplissimam. Nam cum ex Italia ad Principem *Io. Albertum*, suum & communem Musarum patronum, rediens, eruditionis specimen

(c) elog. *Bartol, Richii* A 2. b.

men edere ab eo iuſſus eſſet, illa, in quibus potiſſimam operam ſuam diligentiamque poſuerat adhuc, Roſtochii docere cœpit: dicendi videlicet artem veterum tradebat more, & *Ariſtotelis* de vita ac moribus libros fideliter interpretabatur. qui cum omni cogitatione in id ferebatur, vt diſcentium animos excoleret atque linguas, multa præter ea alia eodem ſpectantia & publice & domi diligentiſſime explicabat. Cum biennium fere in academia hac ſic docuiſſet, vt omne, quod in ſe erat, in ſtudioſorum vſum contulerit, vrbs per ſeditionem turbata eſt, & morbus exortus epidemicus. Ciuibus academicis ea re diſſipatis, *Caſelius* euergetæ ſui conceſſu Alpes denuo tranſiit. optimus nempe vir, licet docendi munere iam fungeretur: nihil tamen de diſcendi labore remittendum exiſtimabat, (*d*) cum non minus hoc, quam illud, perpetuum ſibi eſſe oportere iudicaret, quando numquam, in longiſſima etiam vita, deſit, quod diſcendi cupidus porro cognoſcere queat. Equidem parum abfuit, quin vir, propter tam multa & tam magna animi atque ingenii bona grandiore æ-

(*d*) πολιτευσ. l. c.

re ætate dignus, in itinere mortuus esset. (e) Bononiæ scilicet in magnum vitæ discrimen subito incidit, cum sæuo periculosoque morbo ita corriperetur, vt medici aliquando de salute eius desperarent. *Philippum Beleuitium*, fidissimum veluti Achatem, præsto sibi tum fuisse, prædicat. Quamprimum morbi vis aliquantum remiserat, Florentiam, infirmo adhuc corpore, summaque hieme, deportandum se curauit, Gallicum Belgicumque iter, quod constituerat, confecturus. Verum itineris labor, magnaque tempestatum varietas reliquias morbi ita in ipsum commouerant, vt *Victorii* in primis sui hortatu Florentiæ aliquamdiu subsisteret, de altero itinere desperans: *Victorius* enim veteri huic amico suo omnia boni viri ac veri amici officia tum præstitit iterum, nec vlla in re, quoad ibi commoratus est, defuit. Valetudinis periculum facturus in amplissimas Italiæ vrbes excurrit demum *Caselius*, vbi & veteres amicitias, quas cum clarissimis viris coniunxerat antehac, renouauit, firmioresque reddidit, & nouas contraxit; vtpote qui do-

(e) *Victorius* lib. I, ep. ad German. miss. 12. p. m. 51, 52.

ctum neminem sciens praeteribat. Enimuero, quo pluribus placere se videbat, eo pluribus cupiebat innotescere, quod ipsum ad amplioris doctrinae probitatisque studium calcar sibi esse sentiebat. Mirum igitur non est, si cum doctissimis Italiae viris familiaritas ei intercessit. Praeter enim *Victorium* atque *Sigonium*, qui saepius iam a me laudati sunt, *Paulum Manutium, Marcum Antonium Muretum, Vincentium Pinellum, Onuphrium Panuinium, Franciscum Robortellum, Petrum Angelium Bargaeum, Melchiorem Guilandinum, Antonium Riccobonum*, & quam plurimos alios, qui maxima eruditi orbis erant lumina, sibi habebat amicissimos: quorum amicitiae per litteras deinceps altae sunt magisque confirmatae. *Caselium* vna cum elegantioribus litteris iuri etiam ciuili operam dedisse, supra iam commemoratum est: Bononiae praecipue superioribus annis in illud incubuerat. Iam cum Pisas venisset, Iureconsulti, qui ibi erant, eum in ordinem suum summa voluntate retulerunt, (*f*) cum intellexissent, legum

(*f*) Vid. Documentum publ. de *Caselio* in acad. Pisan. iuris doctore renunciato, Helmst. 1613. 4. a Cl. *Dransfeld*, Casel. epist. praefix.

gum ciuilium disciplinæ Bononiæ ipsum studuisse. Etsi aperte fatebatur, se ab eo tempore legum studium remissius tractasse, quod ad quietiorem & vitam & doctrinam natus maxime aptusque sibi visus esset (*ff*) Postquam triennium fere in Italia iterum commoratus, sermonem, quo ibi loquuntur, ita, *Victorio* teste, (*g*) didicerat, vt in media Etruria natus altusque videretur, de reditu in Germaniam cogitauit. Nam lues interea Rostochii sublata erat, & tumultus etiam sopitus.

Italia relicta, per comitatum Tirolensem, Austriam atque Saxoniam Rostochium petiit; quo itinere multos iterum nouos amicos sibi parauit: primum locum inter eos tenuisse videtur *Ioannes Crato* cum *Augerio Gislenio Busbequio & Hugone Blotio. Cratonem* eleganter doctum atque disertum virum, cuius eximium erga se studium honorifice semper prædicauit, humanitatis in rebus secundis insigne exemplum habuit, qui cum merito suo apud tres Impe-

Q 2 rato-

(*ff*) vid. epistola ad *Io. Schofferum*, quæ reperitur inter epistolas eiusdem *Schofferi* poematibus adiectas, vbi plures *Caselii* epistolæ occurrunt alibi non comparentes. (*g*) lib. III. ep. 1.

ratores multum valeret, doctos viros apud istos in gratiam posuerit. Quemadmodum pro singulari sua in eos, qui Latinam linguam, cuius studio mirifice tenebatur, rectius excolebant, beneuolentia effecit, vt Imperator *Maximilianus II.* de *Caselio* cognoscens, generis nobilitatem a maioribus acceptam quidem, sed temporum acerbitate debilitatem adhuc, ipsi restitueret: *(b)* qui lauru etiam poetica ipsum donauit. Ingentibus igitur doctrinæ diuitiis auctus, amicorum copia abundans, amplissimis laborum præmiis honoribusque condecoratus, Rostochium tandem rediit *Caselius* noster, de studiosa iuuentute præclare porro meriturus. Verum non ita multo post, quam munus hoc suum obierat, in aulam Megapolitanam accitus est, vt *Io. Alberti* filiorum educationi præesset. Officio hoc quatuor annos diligenter admodum perfunctus in academiam se recepit, qua conditione in aulam peruenerat. Fortuna aulæ participem sic fecerat *Caselium*. Quæ etsi perbenigne egerat cum illo: non tenere tamen, nedum ad se denuo pellicere illum valuit; cum ab otio, in quo ferias numquam egit, declinandum sibi non putas-

(b) ep. ad *Arnisæum* B 2.

taſſet. Hoc cum frui iterum cœpiſſet, illa, quæ ſibi magno ſtudio atque laboribus in bonis litteris comparauerat adhuc, liberaliſſime cum iuuentute communicabat; non committens, vt hæc diſcendi, quam ipſe eius adiuuandæ cupidior videretur. hanc ob cauſſam id quotidie agebat porro, vt qua fide par eſſet, & quanta poſſet diligentia, quæ ex vſu iuuentutis eſſe iudicabat, lectione ac meditatione conquireret denuo inueniretque. Explicanda ſibi ſumebat non falſa, non friuola, ſed lectiſſima quæque ex veterum monumentis, quibus animos, mores, vitam & orationem iuuentutis formaret: namque id, quod iuuentutem doceret, ſuum eſſe negabat, ſed tum ex monumentis veterum, tum ex ſermonibus doctiſſimorum acceptum, ita tamen, vt ad præſentem ſtatum ſæculumque diligenter reſpexerit; cum omnia omni tempori accurate haud conueniant. Quomodo iuventus ex ipſis potius fontibus haurire, quam riuulos conſectari debeat, ſic commonſtrabat, qui magna cum modeſtia de ſe confirmauit, (i) vix quemquam ex veteribus Græcis optimæ notæ ſcriptoribus exſtare,

(i) procem. in lib. Ariſtot. de optimo ſtatu reip. A2.

ſtare, cuius non aliquam ſaltem partem ita pertractarit in academia hac, vt, in quo ingenium eius conſtaret ac diligentia, intelligi potuerit. Iſta docendi ratio, quæ ſolidam, non adumbratam eruditionem parit, eadem eſt, quam ſecuti ſunt præſtantiſſimi magiſtri. *Melanchthon* eam ſecutus eſt, *Sturmius* atque *Camerarius*, quibus viris nihil excellentius Germaniam habuiſſe, oſtenſum eſt. Conſulto ſolos produco Germanos, cum patria noſtra tam ſterilis non ſit, vt nulla ingenia adferre queat, vnde aliis exempla, quæ imitentur, ſumere liceat; qualis nonnullis gentibus adhuc viſa eſt. Equidem non doctrina tantum præibat *Caſelius* iuuentuti, ſed cum operam daret, vt hæc non tam eruditior, quam melior euaderet, ſedulo etiam oſtendebat, ſine animi integritate atque innocentia, & præ iis nihil eſſe ceteras, quamuis egregias diſciplinas. Neque vero id iuuentutem docebat ſolum, ſed ipſe virtutis erat ſtudioſiſſimus; illos optimos ducens magiſtros, qui id, quod docent, ipſi faciant, & alumnos ſuos non minus factis, quam oratione erudiant perficiantque Hæc *Caſelii* & collegarum, quos habebat præclaros, in docendo ſoller-

lertia fecit vt academia Roſtochienſis, quæ tantopere adhuc contempta fuerat, nulli vicinarum bonitate nunc cederet, a plurimis frequentata. Doctrinæ fama tam claros nunc habebat doctores, vt *Caſelii* ætate ſex doctiſſimi viri in Iuliam ad docendi munus ſint euocati. (*k*)

Iulius nempe Dux glorioſiſſimæ recordationis viros doctrina præſtantiſſimos in academiam recens ab ſe conditam amplis propoſitis præmiis accire geſtiebat. Priuilegia academiæ nondum promulgata erant, cum in principis ſenatu *Caſelii*, vt hominis eruditi & tot annos in docendo magna cum laude verſati, fieret mentio: Princeps, qui ciuibus potiſſimum vti decreuerat, eum arcesſi ſtatim iuſſit; cui, cum veniſſet, conſilium ſuum expoſuit, perliberaliter iam cum eo tractans. *Caſelius* cum inuito *Io. Alberto*, Megapolitano Duce, a quo tanta beneficia a puero acceperat, Roſtochienſem academiam, cuius magnum adhuc ornamentum fuerat, relinquere nollet, ea conditione operam ſuam condicebat, ſi Princeps hic aſſentiretur: quare de mutatione hac ſubmiſſe eum compel-

(*k*) Hos nominat in laudat. *Io. Alberti* D 2.

pellauit; cuius caussa ipse Dux *Iulius* ad eumdem iam antea scripserat. A quo etsi *Caselius*, quod volebat, impetrauerat, sic, vt de migratione certus iam esset: hæc tamen, nescio a quo, præter opinionem impedita est, vt indignante etiam Duce *Iulio* locum tum mutare non posset. Quinque præteribant anni, & aliud ex alio obstabat, quo minus Helmæstadium migrare ei liceret. Dux interea & litteris & oratione voluntatem *Caselii* ornandi iterum iterumque declarauerat, migrationem valde vrgens. Cum denique res eo loci esset, vt *Caselius* profectionem moliretur denuo, munificentissimus Iuliæ conditor rebus humanis exemptus est. Sed tamen nec filius *Henricus Iulius*, academiæ conseruator benignissimus, quamprimum ad rempublicam accessit, virum non arcessiuit; quem ad munus istud capessendum serio paratum, patriæque amantissimum simul & litteris & sermone dudum cognouerat. Cum igitur patriæ, cui maxime obstrictus esset, officia diutius deneganda non putaret, omnem tum abiecit cunctationem, & Rostochiensem academiam demum reliquit, cum viginti septem annos ita docuisset in ea, vt

nihil

nihil intermisisset plane, quod ad barbariem ex oratione, animis ac moribus iuuentutis exstirpandam, & ad virtutis humanitatisque, & veræ ac elegantis doctrinæ propagationem facere videbatur.

Ex hoc tempore inclita Iulia *Caselium* merito ostentare cœpit, quæ adhuc fatetur (*l*), sua omnino interesse memoriam huius viri sanctam apud se obseruari; tanquam Iouis Statoris veræ philosophiæ ac bonarum litterarum, cui magnos istos progressus, quos ipsa in solidioribus & elegantioribus quibusque studiis præ aliis academiis fecisse videatur, etiamnum debeat. Si in Germania academia est, quæ omnibus bonis effloruit disciplinis, quæ in omni scientiarum genere magnos doctores habuit, Iulia certe est. Vt de illis tantum in præsenti dicam, qui de bonis litteris præclare meriti sunt. Quantopere in ea floruerunt *Meibomii*, *Reineccii*, atque *Conringii*, qui historiæ tantum addiderunt lucis, vt nemo vnquam plus? Incomparabiles etiam præter *Caselium* in philosophia ac dicendi arte magistros habuit, quorum multi ex

 ipsius

(*l*) epist. *Conringii* de scriptis *Casel*, ad *Dransfeld*, sub fin. & *Morhof*. Polyh. lib. I. pag. 298.

ipſius prodierunt ſchola, omnes vero veſtigiis eius inſtiterunt. Inter quos *Heidmani* ſunt, *Martini*, *Horneii*, *Scheurlæi*, *Schaderi*, & iam laudati *Conringii*, aliique, doctrina ita conſpicui, vt exteræ etiam gentes eorum quosdam ipſi inuiderint. Neque vero hodie nullis laudibus floret, TVA, VIR celeberrime, eloquentia gaudet atque doctrina, qui magni etiam in primis *Caſelii* exemplum TIBI imitandum proponis. Vt autem eo, vnde digreſſus ſum, redeam: qualis *Caſelio* in adiuuanda iuuentute animus fuit Roſtochii, talis etiam nunc ei erat Helmæſtadii. Quemadmodum iſtic laborem fugit nullum, ſed dies noctesque pro iuuentutis vtilitate excubuit, ſic neque heic intermittebat nunc quicquam, quo ſermo & animus eius ad vitæ cultum formari poterat. Ad ſummam, delato muneri ſic præerat, vt nemo melius: ore docebat, ſcriptis atque exemplo. Qui ſtudiorum gratia in academiam venerant, illos ad litteras colendas vel inuitabat, vel confirmabat in propoſito, vel in rectam, ſi deflexerant, reducebat viam. Domus propterea optimi viri numquam ab illis vacua erat, qui conſuetudine eius fruerentur & in litte-

litteris vterentur consilio, quod an rectum esset, nemo omnium dubitabat. Enimuero inter omnes constabat iam, ipsum, quod ad iuuentutis ad virtutem & litteras educationem pertineret, optime perspectum habere, fideliter etiam diserteque id aperire. Quare reges, principes, & qui nobilitate generis maxime florebant, non de institutione modo filiorum cum eo agere, filiisque studiorum moderatores ab eo expetere non dubitabant, sed filios etiam ipsos in academiam mittebant, vt *Caselii* cum primis curæ traderentur atque fidei, apud quem in consuetudine æqualium animos doctrina imbuerent, vitamque elegantia morum instruerent ac modestia, quibuscunque virtutibus adsuefacti reliquis. Nec vero hos ex disciplina sua inanes abiisse putat, (*m*) cum neque astutia, aut falsa scientiæ opinione, neque alio studio, quam veritatis, officii, aut boni publici, fuerint imbuti. Vniuersam sic pæne Germaniam finitimosque populos exemplo, consiliis, præceptisque suis erudiuit tum *Caselius*, (*n*) de litteris optime merens, quod

(*m*) ep. ad *Adr. Alpheum* A 2, b. (*n*) *Morhof.* Polyh. l. c.

quod iſtis certos euergetas hoc modo conciliaret. Neque præſentem tantum, ſed futuram etiam rem publicam deuinxit ſibi, quod plurimos ad antiquitatis veræque ſapientiæ genium formarit, quorum aliquos eo etiam in litteris aſcendiſſe ſibi perſuaſit, quo neque ſibimet ipſi progredi licuerit. horum nonnulli ad ludos litterarios in ampliſſimas vrbes miſſi ſunt, alii ad illuſtria pædagogia, de quibus emendandis amplificandisque ipſe ſæpius conſulebatur: ſicut Gœttingenſe in hodiernum vſque diem de ſalutaribus maxime conſiliis, quæ ad emendandum ipſum impertiuit, magnopere adhuc lætatur. Ad academiarum alii profecti ſunt magiſteria: quo prudentiores etiam ac diſertiores homines in principum ciuitatumque ſenatum ab ſe venirent, vehementer ſtuduit.

Quæ cum ita ſint, fieri aliter non potuit, quam vt *Caſelii* nomen vbique terrarum ingenii laudibus maxime effloreſceret. *Galli*, *Belgæ*, *Angli*, *Dani*, *Poloni*, eruditionem viri admirati, diligentisſime eum obſeruabant, amicitiamque eius expetebant per litteras; multi cognoſcendi eius gratia aduentebant. Quantopere *Itali*

li ingenii eius animique dotes suspexerint, supra iam comprobatum est: bona eorum opinio, quam superioribus iamtum annis ceperant de eo, mirifice adhuc erat confirmata. Quanti omnium nationum harum excellentissimi viri fecerint *Caselium*, epistolæ, quas ad ipsum dederunt, satis etiamnum declarant. Lucubrationes adeo suas ad ipsum mittere consueuerant, (*o*) vt corrigeret eas suamque perscriberet sententiam. Tanta viri erat existimatio. Præter virtutem & limatum iudicium purum ac candidum dicendi genus in eo demirabantur. Si *Hugonem Grotium* & *Iosephum Scaligerum* id fecisse probauero, nulla præterea testimonia desideratum iri confido; cum vterque omnium instar facile esse queat. Ille cum cognouisset, *Caselium* a *Cordesio*, præstantissimo isto Canonico, tanti, quanti mereretur, fieri, magnopere gauisus est, adfirmans, (*p*) *Caselium* virum fuisse, qui iudicio & dictionis nitore, ac, quod præcipuum, non fucatæ virtutis studio multum valuerit. *Scaliger*, prudens vniuersæ doctrinæ, huiusque cul-

torum

(*o*) *Casaubon.* ep. 455. (*p*.) ep. 329, edit. Amstel. 1687, in fol.

torum cenſor, eumdem virum exiſtimauit, (*q*) qui in illis, quos melior natura formaſſet, familiam duceret, qui ſermonis elegantia atque doctrina omnes valeret prouocare. Hæc Caſelianæ orationis pura, caſta atque Romana indoles *Scaligerum* ita affecit, vt nihil magis, quam adeo luculentam eſſe confirmabat, (*r*) vt, qui Ciceroniani ſæculi genium, quem pauciſſimi adſequerentur, in iſta non cognoſceret, quid ſit Latine ſcribere ignoraret. Vtinam *Stephani Doleti* ætas in *Caſelii* tempora incidiſſet, aliter fortaſſe, de Germanis ſenſiſſet. Nam ſuo tempore dicere haud erubuit, nullum e Germania prodiiſſe, qui puro vſus eſſet ſtilo. (*s*) Cuius rei cauſſam ſe inueniſſe putat, quando adfirmare conatur, (*t*) Germanis nimiam illam Latine loquendi cupiditatem, & quotidianum vſum, hoc attuliſſe vitium, vt multo doctius ac elegantius loquerentur, quam ſcriberent. Accedere eo, quod inter grauitatem, quæ ſcriptis ac lucubrationibus ineſſe debeat, & fami-

(*q*) ep. 272. pag. 566. edit. Elzeuir. (*r*) ep. 270. p. m. 561. (*s*) *Morhof.* de conſcrib. epiſt. p. m. 45. (*t*) dialog. de imitat. Cicer. pag. 95. edit. Lugd. 1535. 4.

familiare colloquium nullum faciant discrimen. Exterorum multos conspirata sæpius ambitione in Germanici nominis inuidia ita consentire, vt clam, palam laudes Germanorum imminutum eant, certum est; & *Bœclerus* etiam testis huius rei est grauissimus. (*u*) Fecerunt id superiori sæculo ex Gallis quidam, qui Germanos tantis consectati sunt conuitiis, vt ipsi Galli ægre ferre videantur, fuisse inter se homines, qui nationem, cui tot egregia inuenta debeantur, tam acerba affecerint iniuria. Memoratum *Doletum* idem consilium habuisse, vt Germanorum laudes obscuraret, adfirmare ego non dubito. Itali etiam minus honorifice de Germanis hac in re quondam iudicarunt. *Archintus*, Patricius Mediolanensis, Germaniam barbaram adeo vocat, (*x*) horridamque, quæ Latinorum vocabula ignoret. Inuidi hi ac iniuriosi maxime homines vnico nunc, si opus esset, *Caselii* exemplo conuinci possent: non autem digni sunt, qui pluribus verbis conuincantur; præsertim cum vtraque gens alia atque antea de Germanis posthac sentire

(*u*) adnotat. in Vellei Paterc. p. m. 64. (*x*) in præfat. epist. *Aeneæ Syluii*, præm.

tire cœperit: licet Cl. *Bailletus Doleto*, populari suo, quodammodo adhuc adstipulari videatur. (*y*) Quicquid vero Galli de Germanis maledice dixerint, quicquid contumeliose de iis locuti fuerint Itali: satis esse puto, Germaniam nostram *Caselios* tulisse, *Sturmios*, *Camerarios*, *Scioppios*, *Buchneros*, *Bœcleros*, *Grauios*, aliosque, quos cum Gallorum *Muretis* atque *Strebæis*, cum Italorum *Manutiis*, *Politianis*, *Bembis*, *Sadoletis*, ac *Ralearíis* comparare, quos cum nasuto isto *Doleto* in certamen mittere queat. Ad præsens quod attinet tempus, an gentes istæ magnifice adhuc de tantis linguæ Latinæ cultoribus iactare & ostentare se possint, valde dubito. Italos *Caselii* iam ætate Latini sermonis ceperat satietas: quanti iste a Gallis hodie fiat, nemo est, qui ignoret.

Germani quantopere *Caselii* huius sui doctrinam & dilucidum præcipue orationis genus admirati sint, pluribus testimoniis commonstrare non attinet. Non possum tamen, quin *Scioppii* adferam iudicium. qui etsi ab omnibus bene non audiat, sic, vt alii miram eius & exactam iudicii vim in

(*y*) tom. I. Iudic. p. 277.

in æstimandis aliorum scriptis vehementer laudent; alii e contrario ingenii maligni & oris maledicentissimi hominem istum appellent, qui propter inuidas ac iniuriosas calumnias, quas in optimos præstantissimosque viros congessisset, canis Grammaticus iure nuncupetur: (z) non male tamen de melioribus litteris meritus videtur, cum purioris Latini sermonis grauis fuerit vindex. Singula etiam eius de viris eruditis iudicia nemo temere reiecerit, præsertim si fuerint, qui cum eo conueniant, vti in hoc de *Caselio* iudicio. Tantam huius in vtraque lingua & omni politiore litteratura eruditionem fuisse, dicit, (a) vt ne *Victorius* quidem, & vir omnium iudicio ipsoque æuo suo maior, *Ioachimus Camerarius*, collaudare satis eum potuerint. Enimuero vt Latinis, sic Græcis etiam litteris, quas Musarum præcipuum narthecium habuit, quo ipsas pretiosas gemmas & vniones lucidissimos, omnem denique mundum suum diligenter custodiant, erat doctissimus: cui *Nathan Chytræus* in solida Græcæ linguæ cognitione tantum tribue-

R rat,

(z) vid. *Th. Pope Blount.* Cens. Aut. p. m. 986.
(a) Suspect. lection. lib. V. ep. 17.

rat, vt perpaucos ætate ista pares, neminem vero superiorem ipsi fuisse, crediderit. (*b*) Vt Græcæ litteræ in Germania florerent, magnis *Caselii* laboribus effectum esse, summus *Casaubonus* testis est; (*c*) qui simul confirmat, puriorem præterea ac veram philosophiam per eumdem ibi conseruatam esse. Omnibus certe viribus contendit, ne *Petri Rami* docendi ratio in Germaniæ scholas irreperet, vtpote quæ doctioribus minus probabatur. Ciuilem porro prudentiam a Romani iuris peritia, quæ in nomen illud improbo passim ausu inuolauerat, *Caselii* maxime studio vindicatam esse, incomparabilis *Conringius* adfirmat: (*d*) aperte scilicet auditoribus suis explanauit, quid inter politicum intersit, iurisconsultum atque oratorem; qui singulorum campus, & quam distincti fines sint, omnium fere primus exposuit. Si quis, quæ hactenus dicta sunt, reputauerit, illum plane non miraturum puto, cum *Caselius* in monumentis eruditorum nominatus fuerit immortalis memoriæ vir, (*e*) ve-

(*b*) præf. Casel. Græc. gramm. progymn. præfix. (*c*) ep. 375. (*d*) præf. *Naudæi* bibliograph. polit. præm.

(*e*) veræ & antiquæ doctrinæ ac probitatis adsertor vnicus, (*f*) alter Germaniæ Melanchthon, (*g*) Germaniæ Phœnix, (*h*) Saxoniæ inferioris Socrates, (*i*) magnus in solida doctrina suo tempore Hercules, (*k*) Musarum delicium, (*l*) totius Germaniæ, immo Europæ gloria, (*m*) & quæ sunt præconia alia: cuiusmodi multa occurrunt in allocutionibus *Cl. Iusti a Dransfeld* non ita pridem editis, inter quæ & illud est, quod *Casaubonus* tribuit *Caselio*, quando eum omnis eruditionis appellat parentem. Immo si quis elogia hæc cum viri contulerit meritis, illa plane non inuiderit ei, cum merita tanta omnino sint, vt omnium laudes longissime adhuc superare videantur. Nec quicquam tam magnificum de ipso prædicari posse *Scaliger* testatur, (*n*) quod sum-

(*e*) *cl. Cren.* Animaduers. philolog. & histor. P. I, p. 4. (*f*) *Conr. Rittershus.* Comment. in Saluian. p. 82. (*g*) *Cren.* c. l. *Horneius* in præf. op. Casel. & *Ernst.* libror. Caselian. distrib. (*i*) *Heidman.* orat. in fun. Casel. (*k*) *Morhof.* Polyh. lib. II. p. 455. (*l*) celeb. *Schurtzfleisch.* differt. de meritis German. in Græc. litt. p. 7. (*m*) Id. (*n*) Confutat. fabul. Burdonum p. 410. edit. Elzeuir. 1617. 12. vbi duæ *Caselii* epistolæ, ad ipsum Scaligerum scriptæ, adducuntur, quas alibi inuenire non potui.

summae ipsius virtutes non exsuperarint.

Neminem igitur inficias iterum arbitror, *Caselii* memoriam vniuersae Germaniae merito eius caram esse ac sempiternam, cum paucissimos similes eius habuerit, tantumque ei debeat, quantum ciuium propemodum nulli: qui, eodem *Scaligero* teste, (*o*) vir probitate ac eruditione insignis fuerit, candore Germanus, stilo Romanus. *Scaligero* hoc defuncto non male penitus cum litteris actum iri *Casaubonus* credebat, (*p*) quamdiu *Caselius* superstes esset. Ob eam rem exoptabat, vt Germani tanto bono diutissime adhuc fruerentur. Eruditi enim solum fere *Caselium* viuere tum arbitrabantur, qui de aureo illo saeculo, quo Italia, Gallia atque Germania honestis artibus floruerint, reliquus esset. (*q*) Vnde facile coniiciendum est, quantam Germania & vniversus eruditus orbis iacturam tum fecerit, cum optimus senex anno CIƆ IƆCXIII, Id. April. (*r*) non violen-

(*o*) ibid. (*p*) in epistola manuscripta, editam enim nondum reperi. (*q*) *Scalig* ep. 272. (*r*) operarum igitur erratum esse videtur, quando *Baillet* Iudic. T. II. P. I, p. 319. *Caselius* a. 1633 mortuus dicitur.

lentia morborum, sed senectute potius confectus, octogenarius prope decessisset, postquam in Iulia viginti quatuor circiter annos supra laudato modo docuisset. Bonarumtamen litterarum cultoribus solatium tum relictum adhuc erat:in finitimas quippe & longinquas maxime regiones viros solide doctos miserat *Caselius*, quibus doctrinam de manu quasi in manum tradiderat, vt cum posteris eam communicarent; per hos, vita quamuis defunctus, patriam plurimum adhuc adiuuabat. Et quod maximum solatium erat, exquisita ingenii ipsius monumenta supererant: quæ, *Morhofio* iudice, (*f*) inter litteraria Germaniæ cimelia merito referenda sunt: horum ope & nobis doctrina ac vtilissimis præceptis eius in hunc vsque diem perfrui adhuc licet, ita, vt optime de patria mereri nondum penitus cessarit: nam id sedulo egit prouidens maxime vir, vt non magis de paucis in præsenti, quam de re publica ad posteritatem promereretur. In monumentis his suis studiose operam se dedisse asseuerat, (*t*) ne somnia quædam vulgo venditaret, sed quæ a priscis sapientibus & suæ

(*f*) Polyh. lib. I. p. 298. (*t*) in Νέῳ A 2, b.

ſuæ ætatis doctiſſimis viris accepta, in ipſo vitæ vſu recta eſſe deprehenderit; hæc demum nec obſcuro, nec ſordido orationis genere expoſita in publicos ſe edidiſſe vſus. Nihil profecto, niſi vtile, nihil niſi egregium exſpectari poterat a tanto viro, qui, vt *Scioppius* teſtatur, (u) non ad ſcribendum properabat, eruditiſſima ſcripta ſua premere, & eſſe, quam videri doctior præoptans: qui litteras non ad vtilitatem ſuam aut gloriam, ſed ad amplos humanæ vitæ vſus docebat, quod ipſe de *Victorio* olim prædicauerat. Equidem de *Caſelii* lucubrationibus non ex mole, ſed ex præſtantia, quam ſolam boni cenſores reſpiciunt, iudicandum eſt. Iſtas enim non ad famam, ſed ad publicam vtilitatem comparatas volebat; non tam rem litterariam ornare iis, quam vitæ mortalium cupiebat prodeſſe. Plurimos ætatis ſuæ ſcriptores illud non intellexiſſe, ipſe miratus eſt, qui male prodigi verborum volumina obtrudere maluiſſent, quam ſapientiæ impertire paginam; quaſi plauſtrum fœni in altum exſtructum puſilla arcula gemmis referta pluris eſſet æſtimanda: hoc idem eſt, quod Galli

(u) Suſp. lect. lib. V, ep. 17.

Galli apud Germanos maxime improbare solent. (x) Sæpiſſime iam laudatus *Caſaubonus* cum Caſelianarum lucubrationum quasdam perlegiſſet, doctas eas cognouit atque elaboratas, planeque pro illa opinione, quam de auctoris præſtantia antea conceperat; adeo, vt quamuis *Ioſephus Scaliger* plura, quam *Caſelius*, ſcripſiſſet, huius tamen laudem non minorem eſſe cenſeret. (y)

Caſelianæ lucubrationes, etiamſi, vt modo dictum eſt, plurimorum potius vtilitati, quam aucupandæ nominis claritudini deſtinatæ fuerant: auctoris tamen ingenium per florentiſſimas Europæ regiones tantopere nobilitatum iſtis eſſe *Heidmanus* aſſerit, (z) vt nemo fuerit, quin eius tam in ſoluta, quam ligata oratione venuſtatem amarit; quin aureum prorſus animum poſt fata etiam auctoris ſit exoſculatus: doctiſſimum ac præſtantiſſimum quemque delectatum iſtis eſſe atque eruditum. Id futurum ſic ſperabat *Heidmanus*, quamdiu ſcripta viri inter homines

(x) Baillet Iudic. T. I, p. 278. (y) ep. 256, & 375.
(z) in præf. enchirid. piar. meditat. & Caſel. lib. de ludo litter. aperiend. præmiſſ.

fuerint; fore autem hæc, quoad ipsæ literæ in aliquo futuræ essent pretio. Si igitur tam excellentis ingenii monumentorum catalogum in præsenti dedero, me non malam gratiam meriturum confido; præsertim cum ista hodie vix in instructissimis etiam bibliothecis, nedum in tabernis librariis, inueniantur: & tantum praeter ea abest, vt bibliothecæ huiusmodi cuncta adseruent, vt bibliotheca Augusta, quam plurimis Europæ bibliothecis palmam præripere constat, permultis destituatur. Neque vero academiæ Iuliæ bibliotheca omnia depromit; cum tamen facile quis persuadere sibi potuisset, egregii huius viri lucubrationes in vtraque istarum ad vnam omnes reperiri posse, quod ipse Helmæstadii docuerit. Caussa, quamobrem istæ tam raro inueniantur, hæc esse videtur, quod exempla nequaquam ita sunt multiplicata; vt bibliopolis rem istis facere licuisset. Nam cum nullo non tempore plurimi fuerint, qui elegantiora studia despicatui duxerunt, tamquam indigna, in quibus tempus collocaretur: sic etiam multos tum fuisse, ipse *Caselius* negat, (a) qui lucu-

(a) Φιλοξεν. 12.

lucubrationes legissent suas. Enimuero pauci admodum eo volebant, quo omni studio pergere expediuisset: sed plerique doctrinæ umbras secuti, solaque opinione contenti, eo statim conferebant se, vnde plus lucri adfulgebat. Id quod non mirum admodum videbatur *Caselio*, siquidem elegantissima etiam ingenia, cum cernerent, non solum præmii nihil propositum, sed ne incredibilium quidem laborum minutam sperandam esse mercedulam, a cultu studiorum deterrita, ad artes quæstuosiores tempestiue se conferrent. Ne tamen ab se conscripta nemo legeret, se plurima suo ære edidisse confirmat, quorum exempla familiaribus donaret. Cum iis etiam, qui inani sapientiæ persuasione non occæcati vera non fastidirent, magnopere consultum cuperet, concessit quoque, vt commentationes suæ a fortunatioribus, ad quos eas scriptas subinde mittere consueuerat, eadem publicarentur conditione, vt exempla scilicet cum familiaribus communicarent.

Summus quidem *Conringius* ad cl. *Iustum a Dransfeld* de scriptis Caselianis epistolam exarauit, quæ publici iuris ab hoc deinceps

facta est: (b) verum de solis propemodum epistolis in ea agere proposuit sibi; & stri-ctim id insuper facit breuiterque. Perfe-ctius quid dedit nobis celeberrimus *Henricus Ernstius*; *Caselii* nempe librorum in certas classes distributionem. (c) Sed cum hæc minus etiam inuentu facilis sit, eique multa adhuc scripta desint plane: quod ipse *Ernstius* fatetur, quando non dubitat, quin magna adhuc scriptorum pars reliqua sit, quæ ipse non viderit: deterreri me non passus sum, quo minus catalogum denuo conficerem. Accedit eo, quod clarissimus hic vir oppido paucis locum addiderit annumque, quo singula typis sint exscri-pta. Veterum denique libellis a *Caselio* ex Græco in Latinum translatis *Polybii*, *Athenæi*, *Platonis* aliorumque loca quædam adiecit; ita, vt quæ *Caselius* separatim ediderit, & quæ aliis lucubrationibus suis inseruerit tantum, finiue earum adnexerit, difficulter admodum in distributione ista dignoscantur. Vnde apparet, cl. *Ernstio* in animo non fuisse, lucubrationum, quæ seorsim prodierunt dare catalogum; distributionem dumtaxat, ad quam Caseliana scri-

(b) Caselii epist. præmiss. (c) Hamburg. 1651. 4.

scripta in lucem emittere decreuerat, editurus erat: nam cum speraret fore, vt paullo post efficere posset, quod sibi proposuerat, catalogo eiusmodi opus esse non putabat. Cum autem omnis fere spes decolasse iam videatur, monumenta Caseliana coniunctim editum iri, quod infra pluribus demonstraturus sum, indicem eorum componere constitui, vt tituli saltem pluribus innotescant; si modo exstiterint, qui haec legere non fuerint grauati. Ex solis etiam titulis quilibet statim intellexerit, quantam operam posuerit auctor in adiuuandis litteris, quantum in exstirpanda barbarie posuerit studii. Equidem tantum mihi non sumo, vt persuadere cuipiam velim, omnia ac singula *Caselii* scripta cognita me habere, quamuis multa satis adduxero, quae in *Ernstii* catalogo plane non indicantur. Si hic, qui á *Caselio* fuit dilectus, qui ex bibliotheca *Heidmani*, quem *Caselii* consuetudine plurimos annos vsum esse, supra dixi, magnam scriptorum sibi comparauit partem: si, inquam, *Ernstius* hic non omnia scripta vidit, multo minus mirum videri poterit, cum nonnulla notitiam fugerint meam. TVI, VIR

cele-

celeberrime, iudicii erit, quænam a me omiſſa ſint. Diligenter quidem, & quantum in me fuit, inueſtigaui: quæ in laudatis bibliothecis non inueni, in aliis quæſiui, & publicis & priuatis: quæ tamen adduco, quam pauciſſimis exceptis, inſpexi omnia. Vnum adhuc præmonendum puto, me ſcilicet non ſingularum præfationum, epiſtolarum, carminumque daturum eſſe indicem, qualem *Ernſtius* dare conſtituerat, epiſtola, ſi hoc facturus eſſem, in volumen excreſceret, neque id a me quemquam deſideraturum ſpero. Sed cum *Caſelius* vel ſapientum ſententias e tenebris erutas in publicum diligenti opera propoſuerit, vel ipſe, quæ ad rem facere putabat, ſcribendo ſit perſecutus; & veterum & recentiorum commentationes, in quas edendas ſtudii ac operæ aliquid contulit; primum commemoraturus ſum, deinde libellos, quos ipſe elaborauit, orationes, præcipua programmata, & ſi quæ aliæ majores paullo fuerint lucubrationes. Nec vero epiſtolarum carminumque volumina ante & poſt mortem auctoris in lucem edita ſilentio ſum prætermiſſurus.

Ad ordinem in recenſendis lucubrationibus

bus hisce seruandum quod attinet, non male me facturum puto, si eas illo ordine proposuero, quo ipse *Caselius* tum, cum quid scripserit strictim narraret, (*d*) vsus est. Quæ a veteribus, & ab aliis, qui vestigiis veterum institissent, acceperit, ea ad præsentem rerum statum accommodata, qua potuerit ratione optima, se tradidisse ait; nec falsa primum, sed ex illo tempore in alterum fere sæculum explicatiora & accommodatiora simul, siue de vna aut altera lingua, siue de poesi, siue de eloquentia, siue de historia, siue de doctrina de moribus, siue de ratione ciuili docuisset aliquid aut perscripsisset. cetera suis artificibus illustranda se reliquisse. Hic ipse ordo est, quem ego sequendum decreui; licet non ignorem, alios alium tenuisse, ita, vt quidam Caseliana in politica distribuerint, oratoria, philologica, apologetica, epistolica & poetica; quidam diuisionem fecerint in plures adhuc dissectam partes. Sed parum interesse puto, quo ordine ea protulero, si modo distinctius paullo id a me factum fuerit. sic etiam futurum existimo, si ordinem ab

(*d*) In laudibus *Magno Zamoscio* a *Rhodomano* ipsoque *Caselio* conscript. G, 4, a.

ab ipſo *Caſelio* adhibitum inſtituero. Prius vero, quam id faciam, duos catalogos nominare neceſſe habeo, qui aliquoties a me citabuntur. Primum ipſe *Caſelius* publicavit; (*e*) lucubrationes nonnullas prelo adhuc ſubiiciendas in eo recenſens, quarum tamen minima pars lucem aſpexit. illarum, quæ editæ non ſunt, pleraſque ſuo etiam proferam loco, quindecim dumtaxat dialogos, quibus de educatione in litteris ad virtutem agere conſtituerat, generatim iam ex iſtis commemoraturus; præter quos ſeptem & decem omnino lucubrationes ibi promittit. Alter catalogus editus non eſt, quo *Caſelii* manuſcripta Sora Danorum in Iuliam recepta enumerantur. Helmæſtadium academiæ Soranæ duos celeberrimos viros dediſſe, conſtat, quorum vterque ſæpe hactenus a me laudatus, ſæpius tamen adhuc laudandus eſt: *Heidmanum* intelligo atque *Ernſtium*. Hi cum Caſelianas lucubrationes plurimi æſtimarent, omnes, quas modo cunque adipiſci poterant, collegerunt: *Heidmanus* in primis plurima *Caſelii* manuſcripta conquiſiuerat; & hæc eadem eſſe videntur, quæ Iulia demum academia

(*e*) 1594.

mia ex Sorana impetrauit. catalogum hunc bibliotheca Augusta cum reliquis Helmæstadiensis bibliothecæ catalogis manuscriptis adseruat.

Caselium, vt iuuentus haberet, quæ sequeretur, sapientum sententias e tenebris diligenter erutas in vsum publicum proposuisse, dixi. id factum ab eo est, quando & veterum & recentiorum monumenta publici fecit iuris, iisq; vel præfationem, vel interpretationem, vel notas deniq; addidit. GRAECORVM MONVMENTA ipsius studio atque cura edita primum recensebo. Talia sunt I. GREGORII NAZIANZENI *poematum quædam selectiora*, in vsum Græcæ linguæ & sinceræ pietatis studiosorum seorsum edita. *(f)* II. Eiusdem GREGORII duæ *orationes*, quarum vna *ad Eunomianos* est. *(g)* III. altera rationem reddit, *cur in Pontum fugerit*. IV. B. GREGORII NYSSENI *ad Eustathiam, Ambrosiam, & Basilissam epistola*, primum in Germania edita. *(h)* V. HOMERI Λιταί, siue nonus

(*f*) Rostoch. 1582. 4. Cum omnia fere Caseliana scripta, in forma, vti loquuntur, quarta impressa sint, in octaua editis formam dumtaxat additurus sum. (*g*) Helmst 1603. (*h*) Helmst. 1607.

nus Iliados liber. Sine interpretatione omnia hæc edita sunt : Nazianzeni tamen poematibus & Nysseni epistolæ Latinas, orationi vero ad Eunomianos Græcam præfixit epistolam. In Gregorii Nazianzeni cum primis lectione multus fuit *Caselius*, vt eum in rebus arduis atque diuinis proprie diserteque exprimendis imitaretur. Attulerat secum ex Italia scholia vetusta, in eumdem librum IX Iliados Homeri Græce confecta, quæ apud *Victorium* ex MSto describenda sibi curauerat. hæc donauit postmodum *Horneio*; qui cum oppido erudita ea cognouisset, primus publicauit. (*k*) VI. AESCHYLI *septem ad Thebas duces*, *Tragœdia*; in Latinum sermonem conuersa cum animaduersionibus. (*l*) VII. DIONIS CHRYSOSTOMI *de exercitatione oratoria* breuis quidem, sed lectu tamen vtilis *oratio*, Græce emendatior edita, cum notis quibusdam criticis. (*m*) VIII. ARISTOTELIS *de arte dicendi libri tres*, quam emendatissime editi, & quam diligentissime correcti iuxta editionem *Petri Victorii*. (*n*) longum ad Ducem *Henricum Iulium* præmissum est pro-

(*k*) Helmst. 1620, 8. (*l*) Rost. 1581. (*m*) ib. 1589. (*n*) Rost. 1577. 8.

procemium. *Caroli Sigonii* interpretatio seorsum a *Caselio* etiam publicata est, adiecta ad auditores præfatione. *(o)* Primum librum rhet. Græce iam separatim antea ediderat, cum longo ad auditores de studiorum impedimentis proœmio, diuersæque lectionis indice. *(p)* *Iacobus Bongarsius* de *Caselii* quadam rhet. Aristot. interpretatione mentionem facit. *(q)* ego vero nihil de hac comperire potui. an *Sigonii* forte interpretationem, quam a *Caselio* editam iam citaui, intellexerit, ego adfirmare nolo. Vidi equidem Caselii adnotata in librum primum rhetor. Aristot. manu scripta, & memoratur *(r)* impressum trium librorum exemplum, cui in margine *Caselii* itidem notæ additæ sunt manuscriptæ. cuiusmodi exemplum bibliotheca etiam Carpzoviana olim habuit. Sed notæ hæ, quantum ego scio, non sunt publicatæ. IX. DEMETRIVS PHALEREVS, *de elocutione*, Græce. *(s)*

S Per-

(o) ib. eodem anno & Helmst. 1634. 8. *(p)* Witteb. 1564. 8. *(q)* ep. ad Io. Kirchmannum, quæ inter eas, quas *P. Burmanus* ex biblioth. Gudian. edidit, est LVIII. *(r)* in catalogo MSto biblioth. Helmst. supra citato *(s)* Rost. 1583. 8. quibusd. exemplis annus additus est 84.

Persuaserat sibi *Caselius*, se primum in Germania edidisse hunc auctorem: sed *Baeclerus* adnotauit, *(t)* eumdem Basileae Graece & Latine triginta fere annis ante prodiisse, postquam *Victorius* primus omnium in Italia eum edidisset. *(u)* A Caselio tamen X. GREGORII NAZIANZENI *epistola Graeca de conscribendis epistolis* primum publicata est, *(x)* quam Florentiae *Arnoldus Arlenius* cum ipso communicauerat. Phalereo eam posthac adiunxit, quod in hoc multa de nota epistolica traderentur praecepta. De commentario, quem in eundem Phalereum conscripsit, infra sermo erit. XI. SOPATRI *in Aristidis pro rhetorica orationes prolegomenis Latinum Scholion adnexum*. XII. AESCHINIS *epistolae*, Graece, quam emendatissimae editae, emendationibus quibusdam in fine adiectis. *(y)* Subiunctae sunt ARISTOTELIS *epistolae* cum duabus *Philippi Macedonis* & vna *Alexandri M.* XIII. CHIONIS *Heracleotae epistolae*, Gr. *(z)* Iuuenem fortissimum Chionem appellat *Caselius*, quem optimis disciplinis imbuerit ipse *Plato.*

(t) de Scriptor. Gr. & Latin. p. 31. edit. Francof. *(u)* 1554. *(x)* Rost. circa a. 1569. *(y)* Rost. 1578. 8. *(z)* 1583. ib.

to. cuius epiſtolæ perelegantes eſſent atque eruditæ. XIV. PHALARIDIS, *Agrigentinorum tyranni, epiſtolæ*, Gr. (*a*) has quidem *Caſelius Eilhardo Lubino* edendas commiſit, poſtquam ipſe ſeptem annis ante edere eas cœperat. XV. THEMISTII *oratio*, quæ *Baſaniſta & Philoſophus* inſcribitur, Gr. (*b*) cum Græco ad *Io. Pouiſcium*, procœmio. In orationem hanc peculiare publicauit programma. XVI. Eiusdem *de amicitia oratio.* Vtramque nec non reliquas Themiſtii orationes ſapientiæ eloquentiæque refertas eſſe, iudicauit *Caſelius*. XVII. *Vituperatio philoſophiæ ex Gorgia* PLATONIS, Gr. (*c*) XVIII. MAXIMI TYRII *commentatio, quemadmodum diſcernendus ſit adulator ab amico*, in Latinam linguam tranſlata. (*d*) Quam ipſo hoc anno Ienæ denuo edidit *Io. Henr. Ackerus* cum tribus *Caſelii* epiſtolis, quarum duæ in centuria etiam iſta, quam *Fuchtius* emiſit comprehenduntur. Tyrii hunc locum a *Plutarcho* egregie tractatum eſſe in præfatione adfirmat *Caſelius*; ſe quoque eam ob rem conſtituiſſe, operam aliquando in hoc *Plutarchi* libro explicando colloca-

S 2 re.

(*a*) ib. 1597. 8. (*b*) Helmſt. 1605. (*c*) Roſt. 1587. (*d*) Helmſt. 1590.

re. an collocata sit dubito, liber certe, quantum mihi constat, ab eo emissus non est. Duo quidem alii PLVTARCHI libelli ab ipso in lucem sunt prolati, quorum alter XIX. *de curiositate* est, quem bis Græce, (e) denique Latine etiam conuersum edidit, adiectis notis quibusdam, quæ ad aliquot locorum illustrationem facere videbantur. (f) XX. Alter PLVTARCHI liber est *de loquacitate*, Latine redditus, & scholiis quibusdam illustratus, cum procemio ad auditores, (g) XXI. LVCIANI *Calumnia*, Gr. cui loca quædam ex *Herodoto, Diodoro Siculo*, atque *Plutarcho* huc spectantia adiuncta sunt, cum longiore ad *Ernestum ab Honroda* epistola. (h) Latine etiam posthac prodiit hæc Luciani Calumnia cum *Caselii* scholiis. (i) XXII. CEBETIS *Thebani tabula*, Gr. cum epistola ad eumdem *Ernestum ab Honroda* scripta. (k) Post mortem *Caselii* cum versione & notis ipsius ex *Geuerharti Elmenhorstii* bibliotheca edita est. (l) XXIII. GALENI aureolus libellus: *Quomodo quis & dignoscat & sanet animi sui adfectus*, ac-

(e) Rost. 1388. & Helmst. 1590, 8 (f) Helmst. 1595. (g) Rost. 1589. (h) Helmst. 1594. (i) ibid. 1595. (k) ibid. 1594, (l) Lugd. Bat. 1618, 4.

accurate emendatus. hunc Græce primum, (m) deinde Latine confectum (n) publicauit. XXIV. XENOPHONTIS *de dictis & factis memorabilibus Socratis* libri quatuor, in Latinam linguam translati. (o) Græce etiam postea editi. (p) XXV. Eiusdem XENOPHONTIS *Cyri pædiæ* liber primus; (q) secundus cum politicis locorum aliquot explicationibus, (r) tertius (s) atque quintus. (t) Serenissimus Dux Iulius, cum in Cyri pædia hac iusti imperii ideam contineri accepisset, vt *Caselius* eam suo stilo educationi Henrici Iulii Latinam faceret, mandauit. Quare tenui, nec obscuro stilo eam reddidisse se dicit, (u) vt & Principis consuleret ætati, & ne a Xenophontea simplicitate longe recederet Versionem hanc cum absoluta *Camerarii*, aut nitida *Gabrielii* comparandã esse, pro singulari sua modestia negat, si modo reliquorum etiam librorum interpretationem, quam promiserat, reliquisset. XXVI. *Eiusdem* porro XENOPHONTIS *Agesilaus.* (x) quem Latine etiam interpreta-

 tus

(m) Helmst. 1592. (n) ibid. 1596. (o) Rost. 1576. (p) ibid. 1589. (q) Helmst. 1590. (r) Rost. 1579. (s) ibid. 1582. (t) 1587. (u) præf. lib. I. (x) Rost. 1577.

tus *Eberbardo*, *Præsuli Lubecensi*, longiore epistola dedicauit. XXVII. DIONIS CHRYSOSTOMI *de Regno libri quatuor*, Gr. cum emendationibus atque explicationibus quibusdam. *(y)* libros hos *Caselii* socer, *Andreas Mylius*, eleganter interpretatus est. *(z)* XXVIII. ALEXANDRI APHRODISIENSIS *de fato liber*, cum Latina interpretatione. *(a)*. XXIX. PLATONIS *legum procemium* Gr. cum epistola ad *Zernemanos*. *(b)* Procemii huius explicationem pollicitus erat cum commentario. XXX. *Magnificentia & Magnanimitas ex* ARISTOTELIS *libro de vita & moribus quarto explicata*. *(c)* Aristotelis verbis interpretatio & scholia longiora addita sunt, procemio ad *Fridericum II*, Daniæ regem, præmisso. *Aristotelis* ethicorum librum primum explicatum esse a *Caselio*, ex epistola ad Ioach. Fridericum Marchionem Brandenb. scripta colligo: ipsum vero librum vt viderem, mihi non contigit. *M. Antonini Philosophi* librorum, quos ipse ad se scripsit, primi explicationem dare proposuerat sibi. *Theognidem* præterea commentariis illustratum promiserat. *(d)* Sed

(y) ib. 584, 8. (z) ib. 578, 4. (a) Rost. 1588. (b) Helmst. 1594. (c) Rost. 1587. (d) in catalog. 1594. edit.

Sed nihil horum vidi. ANTONINI *Aulicus* commemorandus adhuc videtur, quem Latine translatum seorsum edidit (*e*) cum epistola ad *Adamum Crusium* & *Antonini* diuino dogmate versibus comprehenso. ipse Aulicus cum paucis verbis constet, aliis quoque lucubrationibus eum adiecit; quemadmodum Aulicum a *Polybio* adumbratum adiunxit etiam quibusdam.

Hæc sunt Græcorum monumenta, quæ *Caselius* in vsum iuuentutis vulgauit atque interpretatus est, animum eius, mores atque linguam per ista formaturus; qui totamente in id incumbebat, vt teneros animos ad veterum opera amanda alliceret, ex quibus arculis quasi sapientia tuto depromeretur. Me omnia attulisse, ita, vt nullum plane præter ista ab eo publicatum sit, si adfirmarem, audacter nimis id a me dictum foret, nimis temere confirmatum. attuli ego, quoquot reperire potui. ROMANORVM pauciora, immo nulla fere monumenta sunt, in quibus edendis optimo viro opera quædam posita fuerit. ad ipsos fontes discendi cupidos ducere fortasse maluit. licet non negarit, ex riuis flu-

 mini-

(*e*) Helmst. 1604.

minibusque copiosiora interdum hauriri posse, neque tamen forte meliora. Neminem scilicet omnium Romanorum hodie in manibus nos habere arbitratus est, quin pleraque ex Græcorum fontibus hauserit, nec quemquam eorum fuisse putat, quin a Græcis plurimum se sumpsisse videri voluerit; adeo, vt quo quis inde plus ad se transtulerat, hoc melior semper habebetur. Apud SENECAM vberrima sapientiæ præcepta inueniri cum cognouisset, vt discentium manibus iste diligenter versaretur, exoptabat. quo facilius igitur ad intelligendum eum peruenirent, librorum septem, *quos de beneficiis* scripsit, primum edidit, publice eum explicaturus. cui criticas quasdam coniecturas in fine adiecit. (*f*) *Scholion* præterea confecit *de oratoribus & philosophis*, quorum mentionem facit M. TVLLIVS in procemio *de officiis*. Nomen quidem suum *Caselius* non addidit; sed ipsum auctorem esse coniicio, quod pluribus exemplis, quæ vidi, nomen suum manu adscripserit. Et hoc ipsum signum est, quod in superioribus quibusdam Græcorum monumentis, quæ *Caselii* nomen

(*f*) Helmst. 1592.

men præ se non ferebant, adduxit me, vt crederem, eum ipsum esse, qui ista publicarit; præterquam quod *Cl. Ernstius* eumdem plerorumque istorum fecerit auctorem.

Caselium VIRORVM, qui EIVSDEM ÆTATIS fuerint, præstantiores quasdam lucubrationes, præfatione istis præmissa, typis iterum exscribendas curasse, supra commemoraui. Harum præcipuæ quænam sint, breui etiam sum indicaturus. Studio ipsius prodierunt I. IOACH. CAMERARII *Capita pietatis Christianæ versibus Græcis expressa.* (*ff*) quæ *Caselius* in præfatione libellum vocat aureolum totque gemmis pretiosis, quot ipse verbis constet, exornatum. II. IO. CASÆ *carmina* & *orationes pleræque Thucydidis in Latinum sermonem* ab eodem *conuersæ.* (*g*) Quinquaginta circiter annis ante primus ediderat ea *Victorius*. *Casæ* huius scripta impense laudat *Caselius*, confirmans, sapientum vetustatem illa redolere, nihil in iis infantiæ uspiam, nihil sordium, nihil loquacitatis, in carminibus istis puræ &

(*ff*) Rost. 1576. vid. *Rittershus.* Comment. in Saluian. p. 81. (*g*) Helmst. 1610.

luculentæ orationis esse exempla, optimæ ista esse notæ: orationes etiam, quas Rostochii separatim iam ediderat, (b) diligenter & præclare in Latinum sermonem conuersas esse ait, ita vt nulla melior exstet interpretatio. *Casam* enim recte ac ornate dicendi scribendique facultate nemini doctissimorum fuisse secundum, qui vel ex veteribus multos superare videatur.

III. GABR. FAERNI *Fabulæ Æsopicæ centum.* (i) Has *Siluius Antonianus*, *Caselii* amicus, Romæ primus ediderat: qui *Caselio* de auctore multa narrauit coram: virum scilicet eum fuisse summa innocentia, qui perpolita satis, immo vetustatem quamdam spirantia edidisset monumenta, aliquot etiam auctores veteres ad manuscripta exempla emendasset. Sed, quantum *Caselius* sciebat, præter emendationes in Philippicas *Ciceronis*, ac in *Terentium*, nihil earum vigiliarum editum tum fuerat. Fabulas istas ita præclare scriptas esse, *Caselius* inquit, vt veterem Latinitatem, veteresque Romanos sales sapiant, & cuique ætati lectu vtilissimæ sint, iucundissimæque.

IV. PETRI ANGELII BARGÆI, *quo ordi-* *ne*

(b) 1584. (i) Rost. 1569.

ne scriptorum historiæ Romanæ monumenta legenda sint, *libellus*. (*k*) *Bargæum* eiusque fratrem *Caselius* Pisis cognouerat. *Petrum Angelium* hominem appellat omni liberalis doctrinæ genere politum, & poetam præstantissimum, cuius libellus iste, exiguus licet, vtilitate tamen pretiosus sit, & res gestas Romani Imperii inuestigantibus filum velut Ariadnæ. V. CAR. SIGONIVS *de vita & rebus gestis P. Scipionis Aemiliani*. (*l*) Vitam hanc *Caselii* monitu Bononiæ ediderat primum *Sigonius*. Præter bellum Punicum tertium, & excidium Numantiæ, permulta in Romanæ historiæ scriptore desiderata in libro hoc reperiri, censet *Caselius*, quæ cognoscere laboremus, & ex quibus minime vulgariter informemur. VI. ADR. TVRNEBI *de vino liber*. (*m*) longum *Caselii* prooemium præmissum est ad *Theodorum Farensbach*. Cuius sumptu commentatiuncula hæc a *Caselio* iterum publicata est, postquam Lutetiæ primum prodierat. Multus ibi est *Caselius* in laudando *Turnebo*, integrius eo, eruditius, disertiusque quicquam fuisse negans, ad cuius monumenta ipse

(*k*) Rost. 1576. (*l*) ibid. 1583. (*m*) Helm. 1605.

ipſe numquam acceſſiſſet, quin in multis doctior, confirmatior in ceteris abierit. Iſtam de vino commentatiunculam neminem ſine fructu lecturum ſperat: vnam certe ex lectione eius redundaturam fore vtilitatem; vt temperantiam ſcilicet pluris faciamus, & virtuti huic vitæque ſobriæ maximis de cauſis nos dedamus. VII. PETRI VICTORII *epiſtolarum ad Germanos miſſarum libri tres:* hos primus edidit *Caſelius.* (*n*) Moleſte tulit *Bœclerus*, (*o*) & peregrinæ inſolentiæ, inuidiæque gentilis inſigne ſpecimen habuit, quod in magni viri, (per quem quin *Victorius* intelligatur a *Bœclero*, nemo dubitat,) epiſtolis, quas ipſe ad alios & alii ad ipſum ſcripſerant, ex Caſelianis pluribus ne vna quidem luci reddita ſit. Cuius rei cauſſam non aliam fuiſſe, quam quod doctiſſimi viri patria & gens haud placuerit, non coniicere, ſed compertum ſe habere adfirmat. Luculenta videlicet bona, quæ Deus Germaniæ munifica manu cumularit, vrere ambitioſos ſpiritus. *Præfationes* etiam præfigere conſue-

(*n*) Roſt. 1577. 4. Francof. 1597. 8. & Sedin. 1604. (*o*) Adnotat. in Vellei. Paterc. p. m. 64.

ſueuit *Caſelius* libris, in quibus edendis ipſe operæ præterea nihil collocarat. Tales præfixit *Ioannis Caſa Galateo*, ſiue de morum honeſtate & elegantia libro, ex Italico in Latinum verſo a *Nathane Chytræo*; & *Valentini Schindleri Lexico pentaglotto*. Illa, quæ *Aldi Manutii* phraſibus præmiſſa eſt, *Caſelii* præfatio ſtatim pluribus a me laudabitur verbis. Præterire hic non queo *Adriani Turnebi* cenſuram de inſtituto *Petri Rami* Græce conſcriptam, quæ Lutetiæ primum edita, *Caſelii* vero, vt coniicio, ſtudio iterum publicata eſt Helmæſtadii; (*p*) qui Paraſiti etiam epitaphium ex *Briſſonio* depromptum in lucem protulit.

Veterum recentiorumque monumentis, in quorum editionem operæ aliquid contulit *Caſelius*, enumeratis, ad lucubrationes progrediendum eſt, quas ipſe veterum maxime veſtigia ſecutus elaborauit, non vt chartas compleret gloriamque conſectaretur, ſed vt proferret, quæ publice prodeſſent. Supra indicato ordine, quo etiam hactenus aliqua ex parte vſus ſum, iſtas recenſebo, prolaturus primum quas DE LINGVIS addiſcendis reliquit nobis. Græcam atque

(*p*) 1597.

atque Latinam linguam Mineruæ arculas appellauit, in quibus ſapientia opes condidiſſet ſuas.) Quarum vtramque cum ſuo iam tempore negligi videret, vehementer doluit. Græcam linguam ita neglectam iamtum fuiſſe dicit, (*q*) vt pauci diſcerent eam, plurimi faſtidirent, vt cultores eius præ aliis contemnerentur, quos tamen ſe adoleſcente cum primis in honore habitos eſſe teſtatur. Latinam etiam linguam ſic iacuiſſe, vt pleræque academiæ vix balbutirent, iuuentus miſerandum in modum eam diſceret. Qui primos litteratorum canones tum non violaſſet, eum linguam præclare intelligere ſibi viſum, Romanorum ſimilem ſe exiſtimaſſe. vt proprietatem, munditiam atque elegantiam linguæ noſſent, ita paucis ſtudio fuiſſe, quaſi ex veteri ſæculo ſcriptorum exſtitiſſet nullus. Hæc cum cognoſceret optimus vir, rationem iniit, quemadmodum Latinas Græcasque litteras excitaret iterum; ore atque ſcriptis iſtas vindicatum ibat, & vt melioris notæ ſcriptores iuuentus diu multumque in

(*q*) in Νέῳ E 2. & Cohort. ad Latin. ſermon. diſc. Fr. edit. *Heidman.* & ep. ad *Io. Ern. Hoim.* Gallen. libello præfix.

in manibus haberet, operam dabat studiose. Cum Wittebergæ adhuc commoraretur, id omni studio agere iam cœpit; vbi *Græca grammaticæ progymnasmata* summa facilitate ab se tradita & *Bernh. Buggenhagen* dedicata publicauit. (*r*) *Nathan Chytræus*, qui ista denuo deinceps edidit, (*s*) concisa quidem, sed dilucida tamen breuitate conuenientissimum libellum vocat progymnasmata ista; (*t*) in quo singulari quadam dexteritate prudentique consilio omnia conscripta essent atque digesta. Quoad docendi muneri præfuit posthac *Caselius* nihil intermisit, quo plures ad Græcam linguam addiscendam alliceret. Optimos scriptores hunc etiam simul in finem diligentissime expositos publicauit. In plurimis lucubrationibus, quas edebat, linguæ demonstrabat vsum, publicis programmatibus Græcarum disciplinarum cultores collaudans. Non minus vero de Latinæ linguæ studio excitando sollicitus, ad perdiscendam eam auditores suos magnopere stimulauit, id cum primis *cohortatione* ista *ad Latinum sermonem accuratius paullo* *dis-*

(*r*) Witteb. 1560. (*s*) Rost. 1581. (*t*) in dedicat. præmiss.

difcendum (*u*) fecit. Cuius cum nulla exempla *Heidmani* iam tempore exſtarent amplius, ita, vt multi iſtam cum aliis Caſelianis deſcriberent, is cum Latinæ linguæ cultoribus illam denuo communicauit. (*x*) Huc etiam ſpectat longa iſta *Caſelii præfatio*, quæ *Aldi Manutii phraſibus Latinæ linguæ præfixa* eſt, quam me pluribus laudaturum eſſe paullo ante promiſi. Ego quidem iſtam non meis laudabo verbis, ſed celeberrimi *Crenii* de ea iudicium proferam, (*y*) qui ſtudiorum methodis, quas edidit, inſeruit eam. Quod Latina lingua aut negligatur tantopere, aut aliter, ac conueniebat, diſcatur, atque non tantum ab adoleſcentibus, ſed & ab aliis, qui eius ſe egregios magiſtros profiteantur, perperam tractetur, ingenuis litteris magnam perniciem creari, *Caſelius* ibi tam ſolide, laudato *Crenio* iudice, tamque erudite docet, vt diſſertatio hæc auro carior ſit, minimeque ſupprimenda. *Ioannem le Preux*, bibliopolam Pariſienſem, *Aldi Ma-*

(*u*) Helmſt. 1605. *Turnebi* libello de vino adiecta. (*x*) Goslar. 1617. 4. cum aliis *Caſelii* ſcriptis (*y*) Animaduerſ. philol. & hiſtor. P. 1. pag. 4. ſeq.

Manutii Phrases cum doctissima hac *Caselii* præfatione ex Coloniensi editione (z) desumpta, publicasse, (a) idem clarissimus vir ostendit; valde de reliquo conquerens, quod ista in omnibus insequentibus editionibus stupida ignorantia & dissoluta quadam incuria sit omissa. In pluribus enim editionibus se offendisse præfationem hanc, negat. Ego offendi etiam istam in editione Lipsiensi, (b) vbi *Martini Hayneccii* præfationibus adiuncta est. Huc denique pertinet *Caselii de Latinæ linguæ pronunciatione commentatio*, (c) cum additamento ad scholarum curatores. Subiunctus etiam est locus ex *Matth. Marci Dabercusii*, quem accuratissimum ætatis suæ grammaticorum appellat, commentatiuncula; quo multa vocabula recensentur, quorum apud optimos scriptores vsus fuerit, etiamsi regulis videantur aduersari. Suam tandem *lucubratiunculam ad Grammaticodidascalos* adiecit quoque *Caselius*, quam libello grammatico, cuius auctorem non nominat,

(z) 1593. (a) 1594. (b) 1613. 8. (c) Helmstadii, 1611, 8. & Hannouerae 1651. 8. cum *Manutii* orthograph. epitom. reliquis istis Caselianis seiunctis.

nat, antea præfixerat: docet ea, quemadmodum prima Latinæ grammaticæ elementa tradenda sint.

POETICA nihil dulcius esse, multis locis comprobat *Caselius*, qui peculiarem de argumento hoc conscripsit *orationem:* (*d*) Solatium temporis, informationem morum, prudentiæ eloquentiæque magistram eam esse, sapientum suffragiis commonstrat. (*e*) Ipsa hac arte tantum excelluit *Caselius*, vt optimis Germaniæ poetis merito adnumeretur. Versus, quos composuit ab omni fuco & ambitione remotos esse, *Iosephus Scaliger* testis est, (*f*) qui plurimum Romanæ illius priscæ simplicitatis suauitatisque Catullianæ habeant. Carmina sua, quæ, Latine & Græce composuit, lucubrationibus plerumque adiecit aliis, quædam tamen separatim etiam emisit. Cum vero nihil prorsus scripserit *Caselius*, nisi quo alii erudiantur, quodque publice prosit; sic & carminibus his suis teneram ætatem ad Latinas Græcasque litteras, morum præterea probitatem concitare studuit,

(*d*) Rost. 1569. Hamb. 1618. 8. Helmst. 1638. 4. (*e*) epist. a *Dransfeld.* edit. pag. 475. (*f*) ep. 270.

duit, ad acerrimum honestatis virtutisque studium iis in primis exhortans. Id cum clarissimi viri animaduerterent, vt ista in plurium manus peruenirent, laborarunt. Primus, qui id fecit, *Henricus Hudemanus* est, qui *carmina Caselii gnomica Græca & Latina* ex scriptis eius selecta edidit. (*g*) Hunc secutus est *Christophorus Heidmanus*, qui eiusdem *carmina quædam sacra Latina*, pio studio ac diuerso metro expressa, cum *Flaminii* de rebus diuinis carminibus publicauit. (*h*) quorum magna pars inedita adhuc latitauerat. Quod viri ingenium, qui in religionem atque Deum ipsum animus fuerit, ex sacris his carminibus perspici posse, autumat *Heidmanus*. (*i*) Denique *cl. Iustus a Dransfeld poematum Græcorum & Latinorum centuriam*, quæ partim antehac sparsim, partim numquam in lucem emissa fuerant, hinc inde collegit & interpretatus est. (*k*) Cum tamen plurima adhuc viri poemata

 mel-

(*g*) Hamb. 1624. 8. (*h*) Helmst. 1625. & 1634. 12. in epist. *Conringii* ad *Dransfeld*. de scriptis Caselian. *Heidmanus* cum *Hudemano*, operarum fortasse errore, confundi videtur. (*i*) in præfat. (*k*) Gœtting. 1668. & 1672. 8.

mellei, vt *Conringius* loquitur, (*l*) ac probi ſaporis huc illuc vagentur, idem clarisſimus *Dransfeldius* aliquot adhuc centurias promiſerat. Quid editionem impediuerit, ego ignoro. Confecit inter alia *Caſelius carmen* Νυχθήμερον inſcriptum, quo docet, quibus rebus & ſtudiis tam noctem quam diem occupare deceat adoleſcentem, qui in genuinis ſtudioſis nomen profiteatur ſuum. Hoc poſtquam a *Caſelio* ipſo primum editum fuerat, (*m*) *Hudemanus* (*n*) deinde atque *Dransfeldius* (*o*) idem denuo publicarunt: *Henricus* vero *Vagetius* luculentum in iſtud edidit *commentarium.* (*p*) Inter quindecim dialogos a *Caſelio* promisſos, quorum in ſuperioribus mentio facta eſt, vndecimo, ſi prodiiſſent, *de lectione* egiſſet *poetarum.* *Græcorum* præterea *Latinorumque epigrammatum libros* promiſerat *Caſelius.* Sed quantum ego ſcio, neque dialogus prodiit, neque epigrammatum libri; quibus nihil gratius obtingere potuiſſet poeticæ ſtudioſis. Non prætereunda heic videtur longa *ad Erneſtum ab Hoim epiſtola,* (*q*) qua

(*l*) in citat. epiſt. (*m*) πολιτευσομ. adiect. (*n*) inter carmina Caſel. gnom. (*o*) in fine oper. epiſtol. (*p*) Hamb. 1673. 8.

(q) qua multis verbis agitur, *quid Homerus ad educationem in plerisque humanæ vitæ partibus conferat*, si quis in lectione eius sedulo & dextre versetur: Græce conscripta est epistola hæc, Latina tamen addita versione. *Programma* etiam huc pertinet, quo ad audiendum *Homerum* inuitauit, (r) & *Periochæ libri Homericæ Iliados X*, (s) quam superioribus etiam inserere potuissem. In hac, resecto poetico verborum ornatu, sententiæ neruos suo arbitratu repræsentat.

ELOQVENTIAM a poetica adiuuari, paullo ante *Caselii* probaui verbis, cum numerosam orationem argumentorum verborumque suppeditet copiam: eloquentiæ enim bonum non tam ex dicendi magistris, quam ex bonis scriptoribus & ipsa philosophia augendum censet *Caselius*; (t) cum ista, si rerum inanis sit, præter loquacitatem nihil habeat. Ineptos proinde ducit atque absurdos, qui potiore parte omissa artem hanc docere se profiteantur. Hos ta-

(q) Φιλοξεν. subiunct. Latina versio inter epistolas etiam reperitur a *Dransfeld.* edit. pag. 218. (r) Φιλοξεν. adiect. (s) Rost. 1580. 8. (t) oper. epist. a Dransf. edit. pag. 462.

tamen ineptiis & absurditate ab illis adhuc vinci, putat, qui pueros in arenam disputantium, vel quasi in rostra ad orandum producant, quibus ætas rerum in oculos incurrentium cognitionem deneget. Licet vero eloquentia ab *Aristotele*, huiusque in præceptis, & in orando *Demosthenis* æmulo, *Cicerone*, præcipue discenda sit: a *Demetrio* tamen *Phalereo*, haud vulgaria etiam bene diccendi præcepta tradi, confirmat; nam etiamsi inscriptio nihil aliud, quam dictionis rationem polliceatur: multa alia reconditioris in eo esse doctrinæ, sine qua ipsa dicendi ars mutila, nuda, & inops prorsus existimanda. Scriptorem hunc a *Caselio* Græce editum esse, ex superioribus patet. Sermo nunc erit de *libro*, quem ipse *Caselius de elocutione* composuit, siue suo potius arbitratu Latine tradidit: (*u*) namque *Phalereum* istum in plurimis secutus est. Qui cum maximus olim elocutionis amator fuerit excultorque diligentissimus, *Caselius* librum istum suum *Phalereum* inscripsit. Magni viri, vt omnia Caseliana, sic & hunc librum mirifice collaudant, insignem, (*x*) elegantissimum, (*y*) eru-

(*u*) Rost. 1585. 4. (*x*) *Bœtler*, biblioth. curios. C. I. b.

(*y*) eruditissimum (*z*) eum appellantes commentarium. Cui supra laudata *Nazianzeni epistola* cum adnotationibus a *Caselio* addita est. *Rhetor* porro, siue *de Magistro dicendi lucubratiuncula* (*a*) commemoranda est. Celeberrimus *Georgius Schubartus*, academiæ Ienensis maximum antehac ornamentum, meus, sed quod valde doleo, per breue admodum tempus, præceptor, post fata etiam venerandus, hunc de eloquentiæ fundamentis libellum cum cura studiosæ iuuentuti insinuandum iudicauit. (*b*) Duæ hæ *Caselii* commentationes cum rariores factæ essent, *Horneius* in capita distributas recudi eas curauit, (*c*) iisque *Caselii* operum, quæ collecta edidit, alteram constituit partem. *Caselius* quidem *Philorhetora* etiam promisit, (*d*) in quo iuuentuti ostendere voluerat, quemadmodum e carceribus per directum spacium ad eloquentiæ metam peruenire debeat. Verum lucem is non aspexit, id quod maxime dolendum est. Altera commentatiuncula,

 quam

(*y*) id. de Script. Græc. & Lat. p. 31. (*z*) *Morhof.* de conscr. epist. p. m. 31. (*a*) Helmst. 1596. (*b*) in prælection MStis. (*c*) Francof. 1633. 8. (*d*) in program. Rhetori præfix.

quam animo iam designatam iuuentuti pollicitus erat, (e) est Ἑρμηνευτής siue *de recta interpretandi* & cum certo fructu bonos scriptores legendi *ratione*. Huius iacturam *Sturmii* de ratione linguæ Latinæ resoluendæ opusculum compensare quodammodo posse, laudatus iam *Schubartus* existimat. Dialogorum, quos *Caselium* edere voluisse dixi, decimum tertium *de eloquentia* conscribere decreuerat. Sed his in lucem non emissis, prioribus contenti simus oportet. Egregia etiam præcepta, quæ epistolis ac reliquis vigiliis suis hac de re passim admiscuit, desiderium, quod promissis istis suis commouit, minuere fortasse poterunt. *Cl. Ernstius* mentionem facit *tabularum rhetoricarum*, quarum *Caselius* auctor sit. Sed inuenire ego istas nusquam potui. *Tabulas* quidem *vnius trium artis dicendi partium, elocutionis*, (f) inueni; in quibus etsi *Caselii* nomen inscriptum non sit: eum tamen auctorem esse, coniicere quis facile posset: an vero *Ernstii* istæ tabulæ rhetoricæ eædem sint, valde dubito. Lucubratiuncula tandem, quæ huc etiam pertinere videtur, est προτριβάθμιον, siue pane-

(e) ibid. & in Νέῳ F. 3. (f) Helmst. 1591. 8.

panegyrici, de tribus humanæ felicitatis gradibus, modestia, prudentia, atque sanctimonia, *delineatio.* (*g*)

Historia cum oratori exempla suppeditet, quibus auditores doceat, moueat atque delectet; dubium non est, quin eloquentiæ studioso accurate sit cognoscenda. Eam ob rem *Caselius*, quoties occasio ipsi data est, iuuentutem ad omnium temporum, omniumque gentium historias percipiendas allicere studuit, præsertim quando historicorum principes ei interpretabatur. id longiori insuper *in Thucydidis interpretationem prooemio* (*h*) fecit: quale etiam in *concionum Thucydidearum explicationem* (*i*) edidit; quod *Cl. Crenius*, iustus Caselianorum æstimator, denuo publicauit, (*k*) cum cognouisset, esse nonnullos, qui elegantia atque vtilitate prooemii capti, manu id describerent. *Caselium* historiam magnopere subleuatam voluisse, ista quoque & veterum & recentiorum monumenta, quæ typis iterum exscribenda curauit, supra a me commemorata, declarant. Quan-

(*g*) ibid. 1613. (*h*) Rost. 1576. (*i*) ibid. 1587.
(*k*) Animadverſ. philolog. & hiſtoric. T. I, p. 76 & 77.

tum historia ad ciuilem maxime prudentiam conferat, auditoribus suis non minus diligenter commonstrauit. Cum ea non vitam solum moresque hominum patefaciat, sed multa etiam doceat, quæ ad vitam priuatam, regnorum, rerumque publicarum gubernationem pertineant; cum exempla præter ea atque consilia de omnibus, quæcunque inter mortales gerantur, subministret, illum non prorsus aberrare putabat, qui historiam pro ipsa politica habuerit, neque eum, qui sola historia instructus fultusque esset, sic, vt eam non animi gratia legerit, sed ad vitam sapienter accommodarit, ad negotia imparatum accedere existimabat. *(l)*

CIVILEM SCIENTIAM hanc, cuius basin alteram de vita ac moribus doctrinam habuit, plurimum adiuuare studuit *Caselius*, ita, vt *Conringius* principem ad ciuilis doctrinæ scriptorum lectionem ductorem ipsum appellet atque magistrum. *(m)* Lucubrationes, quibus iuuentuti ad vtramque istam scientiam viam muniuit, multæ sunt. Pertinent huc I. *Paradoxa duo in educatione*

(l) in laud. Zamoscii L.3 & epist. ad Cernicou, B 2.
(m) epist. citat. ad Dransfeld.

ne Principum: (*n*) vnum de victu, de reliquo splendore alterum, *ad* nobilissimum virum, *Abrahamum Bellinum*, Principis Wirtembergici aulæ magistrum. Paradoxorum nomine librum se nuncupasse dicit, quod quædam ibi recenseantur, quæ plerisque admirabilia videri queant atque noua, & quæ quamquam ex intima veritate deprompta sint, multitudinis opinioni maxime tamen aduersentur. II. Προπολιτικός: (*o*) Quid per hunc intelligat, in ipso statim titulo explicat: *politicorum* scilicet *prolegomena* intelligere se, dicit, non iuuentuti solum, quæ ad rempublicam se paret, sed nonnullis etiam in re publica iam versantibus profutura. III. Πολιτευσόμενος: *Quemadmodum primarius, idemque ingeniosus adolescens mature & recte educetur ad rem publicam.* (*p*) Tres hæ *Caselii* commentationes opera eius politica ab *Horneio* coniunctim edita (*q*) conficiunt. Qui in capita eas distinxit, singulisque breuia addidit argumenta: Optandum esset, vt ne duo ista *ad ciuilis disciplinæ auditores programmata*, quæ *Caselius* vltimæ commentationi adiecerat

(*n*) Helmst. 1600. (*o*) ibid. eod. 2. (*p*) ibid. 1607.
(*q*) Francof. 1631, 8.

cerat, omisisset. hic enim de iuuentutis salute maxime sollicitus, omnibus, quæ modo conscripsit, adspersit semper, quibus animum eius, si non erudiret, confirmaret certe. Paradoxis istis addenda videtur IV. *de studiis principum oratio*, (r) cuiusmodi tres in scholis habuit, sed hanc, quæ media fuerat, perscribendam tantum putauit. V. *Aulæ Magister.* (s) Quodnam officium huius sit *Adami Crusii* exemplo commonstravit, qui Henrico Iulio a consiliis primum, deinde Friderici Hulderici, & Megapolitanæ denique aulæ magister fuerat. quam ob caussam lucubratio Κρεωσιάδης etiam ab eo inscripta est. VI. Εὐγενής. *siue de Nobilitate libellus ad Io. Leznerum.* (ſ) De nobilitate generis recte sentire, multum interesse, dicit ibi *Caselius*, ad consilia enim in vita recte instituenda id pertinere. VII. *De nobilium negotiatorum dignitate*, studiisque liberalibus, & de singularibus illius ordinis erga vniuersum genus humanum & rem litterariam meritis *ad Matth. Ouerbeciam* διάσκεψις. (t) VIII. Φιλόξενος. siue de prærogа-

(r) Laud. M. Zamoscii addit. I, 5, b. (s) Helmst. 1609. (ſ) Helmst. 1600. (t) ib. 1609, & in op. epist. Dransfeld. p. 957.

rogatiua ciuium in tribuendis honoribus, præmiis & quibusque commodis publicis *ad Ducem Henricum Iulium*. (u) IX. *Felicitas Luneburgi, ad Georgium Schumacher.* (x) Lucubratiunculam hanc refero huc, quod non ad laudes modo ciuitatis conducat, sed alios quoque instruat, qui probum sequi velint exemplum. Ad doctrinam de vita & moribus pertinet *de tribus virtutibus cognatis, quarum in consuetudine humana perpetuus usus est, commentatiuncula,* (y) cum tribus *orationibus,* quarum prima inscribitur Γενεθλιακός, siue *de Disciplina.* (z) altera Πειθαρχικός, siue *de Obedientia,* (a) tertia denique *de Modestia* agit. (b) hæc in academia Iulia habita est, cum v. cl. *Henr. Meibomius* magisterii philosophici dignitatem quibusdam decreuisset. Neque varia *programmata* ista silentio prætereunda sunt; exempli gratia, quæ *in Aristotelis ethicorum,* (c) eiusdem *de vita ac moribus* (d) & *de optimo rei publicæ statu* (e) *librorum interpretationem* proposuit: item *ad sinceræ ami-*

(u) Helmst. 1609. (x) ibid. 1612. (y) *Casa* Galateo a *N. Chytræo* vers. præfixa. (z) Helmst. 1593. (a) ibid. 1596. (b) ibid. 1621. (c) Rost. 1575. (d) ib. 1569. aliud Helmst. 1593. (e) Rost. 1587.

amicitiæ cultores, (*f*) & quod *Dionysiis* publicatum eſt (*ff*) programma. *Triclinii* etiam *inſcriptionem* publicauit, (*g*) qua regulas quasdam in vita obſeruandas tradit. Quid cauſſæ fuerit, cur *Caſelius* opuſculorum ſuorum titulos Græcos plerumque eſſe voluerit, interrogare quis poſſet. Cauſſam inſtituti huius ipſe patefacit, quando nouo exemplo id feciſſe ſe negat: falſum videlicet id non eſſe, præſertim ſi Latinum nomen non facile fuerit, quod Græco accurate reſpondeat. Hac fortaſſe etiam ratione iuuentutem ad Græcas litteras excolendas inuitare voluit. Græcæ certe linguæ vtilitatem, nobilitatem miramque ſuauitatem pellexiſſe *Caſelium*, vt nomen ſuum litteris Græcis hodiernorum Græcorum characterum æmulis ſcripſerit, typisque ita excudi iuſſerit, cl. *Dransfeldius* confirmat. (*h*) Græcis tamen opuſculorum inſcriptionibus interpretationem ſemper fere adiecit Latinam.

Quantum momentum ad rei publicæ ſalutem prima educatio adferat, vt *Caſelius* noſter commonſtraret, ſeminis inſtar eam eſſe

(*f*) Helmſt. 1598. (*ff*) ibid. 1603. (*g*) 1598.
(*h*) Allocut. pag. 129.

esse ostendit: qualis enim ea esse soleat, tales ciues fieri, talem existere ciuitatem; ita, vt miseriæ vel felicitatis principium pendeat ex ea. Quare etsi cura eius dignitate non suprema sit, vtilitate tamen primam ipsam esse colligebat. Cum vero iuuentutis educatio ad virtutem multiplex sit, illam sibi maximæ curæ fuisse fatetur, (*i*) quæ in litteris esset. Pro hac cura nullo loco virtutis doctrinæque cultoribus vmquam se defuisse. Eadem hæc incredibilis viri cura effecit, vt multa de ludis litterariis atque academiis scripserit, quibus res litteraria iuuaretur, necnon fulciretur simul. Quæ cum cognouissent intelligentes, *Caselium* omnia, quæ ad iuuentutis ad virtutem atque litteras educationem pertinerent, optime explorata habere, perspiciebant. factum inde esse, supra iam dixi, vt reges, principes, ac omnes, qui filios suos ingenue educatos volebant, *Caselii* institutioni hos tradiderint. Quid eius hac in re consiliis debeatur, consultissimus vir, *Io. Philippus Sleuogtius*, docere nos potest. (*k*) Excellentis huius viri sententiam quanti TV,

VIR

(*i*) in Νέῳ B 3. C. 3. & secund. Luhiad. *G* 3. (*k*) in progr. funebr. celeb. *Schubarto* script. 1701.

VIR celeberrime, facias, me non fugit: TE summam eius doctrinam & limatissimum dicendi genus satis admirari posse, negare TE quondam memini. Singulari fato post communem illum Germaniæ præceptorem, *Philippum Melanchthonem*, duos maximos viros, sapientia, eruditione, omnique animi cultu cum optimis veterum comparandos, *Ioannem Sturmium* & *Ioannem Caselium*, exortos esse, iudicat magnus hic vir. Hos enim tam enixam, tamque felicem in scholis recte constituendis operam posuisse; tam salutaribus consiliis, tam indefesso labore præiuisse litterariæ pubi, vt & principes summos accenderint ad petendum ex studiis humanioribus decus, & vicinas remotasque regiones hominibus solide doctis impleuerint: in hunc vsque diem, quamuis iamdiu exemptos rebus humanis, non parum iuuantes; quodque alicubi adhuc locorum incedatur recto itinere, & ingruenti barbariei, quantum potest, aditus præcludantur, vt id sibi tamquam auctoribus adscribatur, promeritos. Lucubrationibus, quibus REI LITTERARIAE consultum iuit, id etiam promeritus esse videtur *Caselius*. quænam hæ sint, breui porro commemorabo. Iam

Iam laudatum *Sturmium*, ex cuius scriptis *Caselius* multa se didicisse fassus est, de litterarum ludis recte aperiendis scripsisse constat. *Caselius* noster cum obseruasset, quot modis in primæ ætatis educatione aberraretur, & quam grauiter peccaretur informandis moribus iaciendisque primis litterarum quasi seminibus, permotum etiam se esse dicit, (*l*) vt *de ludo litterario recte aperiendo* quædam conscriberet. (*m*) Cum *Sturmio* in plerisque conuenit. (*n*) institutionem enim, quæ vera sit, vniformem, aut non nimis discrepantem esse debere, existimabat. Ad maiora nos reuocant duumviri hi, clarissimo *Schubarto* iudice, (*o*) in his libellis suis, cum ibi demonstrent, quæ nobis in studiorum cultu adhuc desint, quænam rectius adhuc discere & ad rem publicam ecclesiamque referre debeamus. nisi enim quis ex principiis hisce rite emergat, numquam deinceps in munere sibi delato præclara eum effecturum esse, idem celeberrimus vir confirmat. Multa quidem ipse *Caselius* in libello isto suo ad-

(*l*) de casu miserabil. ad academ. B 3. (*m*) Rost. 1578, 8. (*n*) *Morhof.* Polyh. lib. II, p. 445. (*o*) in prælect. MStis.

huc desiderabat, cum vix omnia attingi possent, quæ eo in genere peccentur. decreuerat igitur, quæ de ludis litterariis emendandis meditatus insuper posthac fuerat, litteris adhuc mandare. Eumdem *Caselii* de ludo litterario recte aperiendo libellum *Heidmanus* recudi curauit, (*p*) quem tamquam Ariadnes filum in docenda pueritia præceptores sequerentur. *additamentum* in fine adiecit, pluribus annis post a *Caselio* scriptum, quo scholarum curatores de quibusdam monentur. (*q*) Aliam adhuc lucubratiunculam confecit *Caselius ad Franciscum, Abbatem Mariæuallensem, de educatione illius loci alumnorum;* (*r*) cui *epistola* adiuncta est *ad Petrum Cossenium*, in qua docendi itidem ratio præscribitur. hanc etiam epistolam *Heidmanus* in boni publici vsum iterum edidit. (*s*) Hæc potiora scripta sunt, quibus rem scholasticam, qua potuit diligentia, emendandam ornandamq; suscepit *Caselius*.

Quæ

(*p*) Helmst. 1618, 8. 1637, 12. (*q*) libello de Pronunciatione linguæ Latinæ primum additum fuerat, de quo supra (*r*) Φιλοξεν adiect. (*s*) Goslar. 1617, 4. cum aliis Caselii scriptis.

Quæ de academicis præclarus in his rebus iudex (*t*) scripsit, subiungenda statim sunt. Primo loco commentatio laudanda est, Νέ☉ καὶ προδιδάσκαλ☉ inscripta, (*u*) quorum *ille ad tirones academicos, hic ad eos, qui in academiis priuatas scholas habent*, directus est. Commentationem hanc *Morhofius* (*x*) elegantem libellum vocat. Clarissimus vero *Struuius*, Patronus ac Præceptor meus diligentissime obseruandus, pluribus verbis eamdem laudat, (*y*) scriptum elegantissimum appellans, ex quo docentes æque ac discentes haurire possint, quibus quilibet in suo genere vtatur: illos in primis, qui nouiter ad academias accesserint, regulas ibi inuenire, vitæ & morum præcepta, atque studiorum ordinem, quibus felici cum successu inhærere queant. Huc deinde spectat commentatiuncula: *Cuiusmodi veterum scriptorum & omnis generis sapientiæ disciplinarum interpretes deligendi sint in academiis*, (*z*) & *Magisterii philosophici descriptio*, (*a*) qua docetur, quid nomen

(*t*) *Morhof.* Polyh. lib. II, p. 445. 457. (*u*) Helmst. 1597. (*x*) Polyh. lib. II, p. 455. (*y*) præf. Guarini libello de ordine docendi & studendi præmiss. p. 38. (*z*) Φιλόξεν. addit. (*a*) Helmst. 1610.

men hoc polliceatur; & quomodo obtinendum sit. Quantopere de academiis emendandis sollicitus fuerit *Caselius*, tribus praeterea *orationibus* testificatus est, quarum prima inscripta est: Ευχαριστικός. siue *de Academia*. (*b*) altera, *de Bono academiae*, (*c*) quam cl. *Ge. Nicol. Kriegkius*, cui viro multum ego debeo, recudendam curauit. (*d*) tertia Κυβερνητικός. *de officio rectoris academici*, cui octo programmata adiecta sunt. (*e*) Longiorem similiter *epistolam* ad *Laurentium Scheurl* scripsit, cuius titulus est Ακαδημιάρχης. (*f*) Pertinet huc quoque Ελεεινὸν συμβὰν, siue *de casu miserabili ad academias commentatio*, (*g*) & *Inuitatio ad inaugurationem magnificae nouae domus in academia Iulia*. (*h*)

Neque *orationes*, quas de ipsis doctrinae litterarumque studiis composuit, omittendae sunt. Talis est I. ea, quam, cum Rostochii doctoris munus suscepisset, *pro studiis bonarum litterarum* habuit. (*i*) II. *qua Rostochio in Iuliam migrans auditores valere*

(*b*) ib. 1592, (*c*) 1599, (*d*) Ienae 1702, 8. (*e*) Helmst. 1594. (*f*) ibid. 1599. & in op. epist. Dransfeld. p. 780. (*g*) Helmst. 1607. (*h*) ibid. 1612. (*i*) Rost. habit. 1563. edit. 1577.

lere iussit: (*k*) cuius præcipuum argumentum studiorum finis est. III. περὶ ἐγκυκλίων προπαιδευμάτων, (*l*) habita, cum *Cornelius Martinius* Helmæstadii magisterii philosophici honorem quibusdam tribueret. Cui *commentatio* adiungenda est: *Cum plerique se a litteris, & per eas ad certum vitæ genus siue aliam professionem applicent, quibus litteris, tamquam necessariis adminiculis, cuique ad finem suum opus esse videatur.* (*m*) Opusculum hoc cuiuis certum studiorum finem spectanti vtilissimum esse, sæpissime iam laudatus *Dransfeldius* testatur, cuius cura iterum prodiit, (*n*) postquam *Heidmanus* idem denuo ediderat: (*o*) illud enim efficere posse existimat, ne quis temere in studiorum spatiis oberret, nec illotis manibus & ab omnibus litteris vacuus ad supremæ disciplinæ, quæ facultas vulgo appellari soleat, sacra se applicet. Quid peregrinationes ad doctrinam adaugendam conferant, *Caselii* testimonio supra demonstratum est. Ne vero in hac

 etiam

(*k*) ibid. 1589. (*l*) Helmstad. 1604. (*m*) ibid. 1594. cum progr. ad B. L. cult. (*n*) Gœtting. 1685, 8. cum *Io. Sturmii* epist. classic. & academic. (*o*) Goslar. cum aliis Caselianis.

etiam re optimi viri consilium deesset iuuentuti, διάσκεψις ab ipso edita est, in qua docet, *quas gentes potissimum adire debeant, qui doctrinæ virtutisque gratia peregrinari animum induxerint. Italiam minime omnium tum prætereundam esse; quidque talis hospes inde emolumenti capiat.* (p) Huc similiter spectat *epistola ad Ernestum a Steinberg de studio liberalis doctrinæ*, (q) vbi de peregrinatione nobili quædam adspersa sunt. Cuiusmodi plures adhuc epistolæ addi possent, si breuitas, cui magnopere studeo, id concederet.

Quanto de iuuentute elegantis bonæque doctrinæ cupida & de posteritate bene merendi studio flagrauerit *Caselius*, quemlibet ex hactenus commemoratis monumentis facile cogniturum esse confido. per hæc enim suam erga litteras atque rem publicam animum ita testificatus est, vt nemo vmquam apertius. Quam promptus vero etiam ad obseruantiam suam ostendendam, & quam facilis ad humanitatis officia præstanda fuerit, ingenti ista orationum ac epistola-

(p) Κρουσιαδ. adiunct. & seorsim 1618, 8.
(q) Helmst. 1609. & inter dissert. de studiis instituend. ap. Elzeuir. 1645. 12.

ſtolarum copia optime declarauit. Enimvero ſiue euergetæ & primario amico in rebus optatis gratulandum eſſet, ſiue quis conſolandus in aduerſis, ſiue ex familiaribus quidam cohortandus, & de litteris vitaue erudiendus eſſet, ad orationes ac epiſtolas conſcribendas ita paratus erat, vt nihil poſſet vltra. ORATIONES & reliquas longiores lucubrationes huc pertinentes primum recenſendas puto. cuiusmodi ſunt I. *ad Iulium Ducem Brunſuic. & Luneb. de eius rebus ſecundis, & præclaris erga ſuos meritis, oratio.* (r) II. *ad Henricum Iulium Ducem παραίνεσις.* (s) III. *Nuptiis Herois Henrici Iulii, Guelfii, & Heroinæ Eliſabethæ Cimbricæ τρικορῶον.* (t) IV. *Ad Chriſtianum IV. deſignatum regem Daniæ παραμυθικός.* (u) Singulari virtute præſtantes & bene de patria meritos cum laudatione efferendi conſuetudo quod non inoleuerit, non leues rationes eſſe arbitratur *Caſelius;* (x) quod ſcilicet præmia virtuti debita defunctis non rectius, quam dicendo perſolui queant, præterquam quod gratos nos hoc modo erga ipſos præbeamus. Cum inſuper exem-

U 4 pla

(r) Roſt. 1585. (s) ib. 1587. (t) Helmſt. 1590. (u) Roſt. 1588. (x) Orat. funebr. A. Mylio ſcr. B 3. b.

pla magis interdum, quam ipsa doctrina, erudiant, vtpote quibus plerique moueantur, adficianturque; laudationes huiusmodi aliis pro documento esse posse autumat, cum ibi habeant, quæ discant, quæ imitentur. (y) Quamobrem pro mirifico suo in virtutem studio, pro perpetua erga patriam pietate, curæ sibi fuisse, testificatur, (z) quemadmodum eos cum primis, qui vel ipsum singulari beneficio adfecissent, vel saluti consuluissent publicæ, verarum laudum prædicatione ornaret; si non verborum copia, bono certe & minime reprehendendo studio. quippe plerasque orationes eo dictionis genere se perscripsisse, dicit, (a) quod veritatis proprium iudicetur, simplici videlicet: cum simplicitas veræ orationis decus sit, & adscita ornamenta narrationem facile reddant suspectam; sicut fucus fronti illitus integerrimam etiam formam in suspicionem vocare possit. Sic *laudibus a Caselio exornati sunt* I. *Io. Albertus Dux Megapol.* summus ipsius euergeta. cuius in funere Suerini orationem habuit.

(y) Orat. fun. V. Mylio scr. A 2. (z) ad D. Iulium de rebus ipsius gestis, A 4. (a) Or. fun. A. Mylio scr. C. 1. & Luneb. felicit. A 2.

habuit. (*b*) aliam præterea laudationem eius posthac elucubrauit, (*c*) ad Ducis nepotes missam. II. *Elisabetha Cimbrica, Friderici I. Daniæ Regis filia*: de cuius laudibus integrum confecit libellum. (*d*) III. *Fridericus II. Daniæ Rex*, in epitaphio ad regni senatores. (*e*) IV. *Iulius, Dux Brunsuic. & Luneb.* cui epitaphium itidem scripsit. (*f*) V. *Christophorus, Administrator episcopæ Raceburgensis, Dux Megapol.* VI. *Ioannes, Dux Megapol.* quorum vtrique peculiarem orationem funebrem elaborauit. (*ff*) qualem *Carolo, Duci Megapol.* etiam composuit. (*g*) *Nobiles* deinde, quibus *Caselius* iusta similiter fecit, sunt: *Ioannes Hobius*, de cuius laudibus libellum edidit. (*h*) *Paris Hane*, (*i*) *Ioachimus* (*k*) *& Henricus* (*l*) *Lubii*, equites Megapolitani. *Ioachimus Ranzouius*. (*m*) *Io. Georgius a Leisten*. (*n*) *Wilhelmus ab Heimburg* (*o*) *Otho ab Hoim*, Consiliarius Brunsuigensis; (*p*) de quo inter alia narrat, cum vno

U 5 atque

(*b*) Rost. impr. 1576. 8. (*c*) Helmst. 1605. (*d*) Rost. 1586. (*e*) ib. 1588. (*f*) Helmst. 1589. (*ff*) ibid 1592. (*g*) ib. 1610. (*h*) Rost. 1581. (*i*) ib. 1587. (*k*) ib. 1588. (*l*) Helmst. 1591 (*m*) Rost 1588. (*n*) Helmst. 1596. (*o*) ib. 1601. (*p*) ib. 1604.

atque eodem tempore ſex filios Helmæſtadii magno ſumptu in litteris educandos curaſſe; quo ſeptimus natu deinceps pariter miſſus eſt. *Adamus Cruſius in Borchfelda*, cuius exſequias vt cohoneſtaret. pauca quædam initio conſcripſerat; (*q*) maiorem deinde lucubrationem, quæ Κρεσιάδης inſcripta ſupra iam prolata eſt, in eiusdem honorem publicauit. (*r*) *Andreas Mylius* (*s*) Ducum Megapol. conſiliarius, ipſius *Caſelii* ſocer, quem Imperator *Maximilianus II.* in Germanicæ nobilitatis album adſcripſerat. Nobiles præterea matronæ quædam ab eo laudatæ ſunt: *Iuſtina Rudelia*, (*t*) *Laurentii Carcouii* vxor. *Eliſabetha ab Heiligen*, (*u*) *Eliſabetha Burenia*, *Iacobi Bordingi* coniux. (*x*) Inter *eruditos*, quorum elogia ſcripta reliquit, *Petrus Victorius*, (*y*) cui tantum debebat, vt nemini præceptorum plus, primas tenere videtur, cuius longiorem laudationem ſe daturum promiſerat. Hunc ſequuntur, *Erhardus Hoffmanus*, mathe-

(*q*) ib. 1608. (*r*) ib. 1609. (*s*) ib. 1611. (*t*) Roſt. 1575, 8. (*u*) ib. 1584. (*x*) Helmſt. 1593. (*y*) Roſt. 1586. Elogium hoc Victorii ad Germanos epiſtolis ſubiunctum deinceps eſt in edit. Francof. 1597.

thematum in academia Iulia professor. (z) *Ioannes Borcholdus*, eiusdem academiæ professor, & iureconsultus clarissimus. (a) *Bartolus Richius* Brunsuig. (b) *Valentinus Mylius*, in Harpaciano vico, qui sub Veltheamiorum ditione est, ecclesiasta. (c) *Ioannes Niuinius*, prot-ecclesiasta Parchimensis. (d) Carmina, quæ in summorum virorum laudem Græce & Latinæ contexuit *Caselius*, licet huc pertinere videantur, breuitatis caussa omitto. *Cl. Ernstius* in poematum profanorum catalogo, quem nobis in distributione sua dedit, multa indicat, quorum nonnulla centuriæ a *Cl. Dransfeldio* emissæ posthac inserta sunt. Panegyricum, quem *Caselius Maximiliano II.* carmine conscripsit, (e) commemorasse sufficiat. Quid in *Melanchthonis* atque *Camerarii* laudes elucubrarit, supra indicatum est. Neque consolationes ad euergetas ac amicorum principes missas, quibus defunctos potissimum laudat, speciatim recensebo, cum plurimæ earum in epistolarum voluminibus mox adducendis reperiantur. Laudem, quam *Laur. Rhodomanus Magni Zamoscii*

(z) Helmst. 1593. (a) ib. 1594. (b) Helmst. 1610. (c) ib. 1611. (d) ibid. 1612. (e) Lips. 1568. impr.

moſcii manibus Græco carmine cum interpretatione compoſuit, multis aliis eo pertinentibus adiectis edidit *Caſelius*, (*f*) cum mors impediuiſſet *Rhodomanum*, quo minus laudem iſtam edere ipſe potuerit. Inter adiecta *Caſelii* ad *Thomam Zamoſcium*, filium, conſolatio quoque occurrit, quæ ſeparatim antea prodierat. (*g*) *Henr. Menſingii*, Roſtochienſ. laudes *Caſelius* in verboſa ad *Berſmannum* epiſtola pluribus verbis proſequitur. Quædam tantum *programmata* adhuc nominabo in funeribus ab ipſo conſcripta, cuiusmodi elaborauit ſub exequias *Hedvvigis Brandenburgicæ*, *Valent. Forſteri*, Iureconſulti Helmſtad. *Henr. Iul. a Lippa*, *Anſelmi Blancoburgii*, *Henrici Fiſcheri*, *Greg. Schellenbergii*, *Victor. Rennerti*, ſtudiorum cauſſa in academia Iulia commorantium. & *Eliſab. Hagnæ Meibomiæ*. Plura programmata huiusmodi quin confecerit *Caſelius* ego non dubito: protuli, quotquot reperire licuit. Caſelianum nomen in ſingulis inſcriptum non eſt: ipſum tamen eorum auctorem eſſe, *Diepholdii* manus, qui *Caſelii* familiaris fuit, mihi perſuaſit, qua nomen huius

(*f*) Helmſt. 1606, 4. (*g*) ib. 1605.

huius exemplis quibusdam fuerat adscriptum.

Quo diffusior cuiusdam sit eruditio, quo maior in orbe litterato auctoritas, & frequentior cum doctissimis amicitia, tanto plura ex epistolis illius discere, tantoque securius iudiciis eius fidere nos posse, eruditi confirmant. (*h*) Iam vero quanta *Caselii* nostri eruditio, quanta inter doctos auctoritas, & quanta amicorum copia fuerit, constat, de praestantia igitur epistolarum eius dubitari non potest: multo minus eius in meliorum litterarum studio sententiae diffidere quis poterit; siquidem omnium litterarum vir fuerit, (*i*) quo nemo rectius de istis iudicasse videatur. Tantopere etiam placuerunt eruditis *Caselii* EPISTOLAE, vt, si quis iudicium, dictionis nitorem, & minus fucatae virtutis studium spectet, sine exemplo eas esse asseuerent, quae cum ad virtutis doctrinaeque studia maxime incitent, nec alias huius generis facile reperiri posse, existimant. (*k*) Qua-

(*h*) *Henr. Meibom.* Additam. ad *Vogler.* Introd. in not. B. S. pag. 153. 154. (*i*) *Morhof.* Polyh. lib. I. pag. 298. (*k*) *Conring.* in epist. ad *Dransfeld.* descr. Casel.

Quapropter plurimum debetur viris, qui istas magno labore conquisitas orbi litterato non inuiderunt. Ipse *Caselius* amicorum sincere amantis, publicæque salutis percupidi animi sui conscius, quas diuersis temporibus ad principes clarosque viros dederat epistolas, Rostochii iam in volumina referre cœpit. *Epistolarum in Italiam missarum liber* ibi editus est, (*l*) quo duodetriginta epistolæ ad celeberrimos Italos, & nobiles quosdam Germanos in Italia tum commorantes scriptæ continentur. Huius libri neque ab *Ernstio*, neque a *Conringio*, neque a *Morhofio*, *Dransfeldio*que mentio, quantum quidem ego cognoscere potui, facta est. Vnicum tantum eius exemplum offendi adhuc a me potuit. Ad clarissimos sane Italiæ viros datæ sunt epistolæ istæ. Quid enim *Victorio*, *Manutio*, *Mureto*, *Pinello*, *Sigonio*, *Paleario*, *Ferrario* clarius adduci potest? Longiorem deinde *epistolam de Alberti*, *Ducis Borussorum*, *erga bonas litteras meritis*, edidit *Caselius*, aliis quinque epistolis adnexis. (*m*) Collectio hæc iterum iterumque auctior posthac prodiit, quibusdam

(*l*) Rost. 1569. 8. (*m*) Rost. 1569. 4.

dam in prioribus istis epistolis mutatis. Primum viginti circiter epistolis locupletior a *Caselio* dedicata est *Lauino Bulouio*, Borussorum Ducis consiliario. (*n*) Aliis deinde viginti amplius epistolis eadem collectio denuo aucta, cum *Victorii* epistolarum ad Germanos missarum tribus libris, quos a *Caselio* antea iam publici iuris factos esse, supra ostendi, in lucem prolata est. (*o*) Adiunctæ tum etiam erant duæ istæ ad *Bersmanum* atque *Corsinium* epistolæ, non ita multo ante iam publicatæ. Verum hæ *Caselii* epistolæ præter paucissimas, octo circiter, voluminibus paullo post laudandis comprehenduntur. Ex epistolarum autem in Italiam missarum libro, cuius paullo ante mentionem feci, nullam plane voluminibus istis insertam reperi. Cum in Iuliam peruenisset *Caselius*, epistolas suas ad amicos subinde missas aliis lucubrationibus adnectere consueuit. Sic plurimas adiecit duabus commentationibus supra iam commemoratis, quarum vna Φιλόξενος, altera Κρεσσιάδης inscripta est, nec paucas *parænetica ad Cranichfeldium* *epi-*

(*n*) ibid. 1580. 8. (*o*) Francof. 1597. 8. & Sedini 1604 8.

epistolæ (*p*) adiunxit. Harum tamen multæ in eadem postmodum volumina sunt relatæ. Post mortem scilicet *Caselii* tres exstiterunt viri, qui epistolas ipsius & editas iam & nondum editas in volumina redactas publicarunt. Constat enim, optimum virum pro summa sua aliorum commodis inserviendi voluntate quam plurimas epistolas typis seorsum exscribendas curasse. Omnibus præterea opusculis vel principibus, & viris de se bene meritis obseruantiæ gratique animi declarandi, vel familiaribus amoris & beneuolentiæ testificandæ gratia dedicatis longiores plerumque epistolas præmisit. Quemadmodum vero singula Caseliana monumenta, sic & epistolæ separatim editæ facile sunt distractæ. Quocirca tres isti clarissimi viri, harum vtilitatem reputantes, collectas vndique ab interitu vindicarunt. Primus, qui id adgressus, est *Ioannes a Fuchte*, Theologiæ in academia Iulia professor. hic *Caselii epistolarum ad reges atque principes scriptarum centuriam* primum edidit, (*q*) quæ maximam partem ab ipso auctore iam vulgatæ fuerant. Mirari quis posset, hominem in litera-

(*p*) Helmst. 1594. edit. (*q*) Helmst. 1619.

terarum otio viuentem tot epiſtolas ad principes ſcripſiſſe: Sed non adeo miratu-rum eum puto, qui cogitauerit, illam tum principum curam fuiſſe, quæ hodie ad pædagogos transferri ſoleat. Cum igitur a principibus in conſilia & litteraria & ciuilia adhibitus fuerit *Caſelius*, facilius credendum eſt, multa de temporum iſtorum ſtatu ciuili æque ac litterario, multa de viris doctis iudicia in epiſtolis ipſius reperiri. (*r*) Idem *Fuchtius* paullo poſt alterum *ad viros nobiles epiſtolarum volumen* in lucem protulit; (*s*) quod ſeptuaginta quatuor epiſtolas complectitur. *Fuchtii* exemplum ſecutus eſt *Henricus Vagetius*, celebris Hamburgenſis gymnaſii profeſſor, ſæpe iam laudatus; qui Caſelianas etiam epiſtolas ſparſim disiectas ſingulari ſtudio conquiſiuit, & in vnum quaſi redegit corpus. (*t*) duodenonaginta omnino *epiſtolæ* faſciculo hoc continentur, omnes *Roſtochii ſcriptæ* ſunt, quarum paucæ ſeorſum antea excuſæ, ſed partim aliis auctoris ſcriptis adiunctæ, aut inſertæ, partim numquam editæ fuerant.

X Al-

(*r*) *Morhof.* Polyh. lib. 1. p. 298. (*s*) Helmſt. 1623. 8. (*t*) Hamb. 1641. 8.

Altero anno post, quam edidisset has *Vagetius*, *Rostochiensium epistolarum*, quas serius acceperat, *mantissam* adhuc emisit, (*u*) triginta tres epistolas continentem. Constituerat quidem Iuliarum itidem volumen edere, quarum plures se habere confirmauit: sed cum nullus, qui sumptus suggereret, bibliopola, offerret sese, vt consilium hoc abiiceret, coactus est, qui Rostochienses istas suo sumptu ediderat, conatu satis honesto. Tertius, qui in Caselianis epistolis colligendis operam collocauit, est clarissimus *Iustus a Dransfeld*. Cui *opus epistolicum* debemus, *exhibens Caselii epistolas ad principes, nobiles, viros celebres, propinquos, ciues ac familiares in Fuchtiana & Vagetiana editionibus non comparentes, ex ipsius auctoris aduersariis & manuscriptis maximam partem adornatum, & in XVI. libros descriptum.* (*x*) Omnes bonarum litterarum cultores opera sua, quam in opus hoc edendum contulit clarissimus vir, plurimum sibi deuinxit. tredecim circiter epistolas, quæ in Vagetiana editione iam comparent, operi huic suo iterum inseruit. Et hæc Caselianarum epísto-

(*u*) ibid. 1643. 8. (*x*) Francof. 1687. 8.

piſtolarum ſunt volumina, quæ tres clariſſimi viri nobis dederunt. Sed tantum abeſt, vt illis omnes, quas *Caſelius* ſparſim edidit, epiſtolæ includantur, vt facile nouum adhuc volumen confici poſſet. Illarum, quæ in tribus his voluminibus deſiderantur, in ſuperioribus quædam iam citatæ ſunt, inter quas elegantiſſima eſt *epiſtola ad Erneſtum a Steinberg ſcripta.* Nec reperitur ibi longa illa & præclariſſima, vt celeb. *Meibomius* eam appellat, (*y*) *ad Henningum Arniſæum* miſſa, (*z*) quæ in arte medica præſtantes ſapientiæque ſtudiis claros viros, quorum amicitia vſus eſt *Caſelius*, debitis cum præconiis enarrat. Huc referendæ quoque ſunt duæ non minus longæ ac elegantes *epiſtolæ ad Ioannem Reccium*, reipublicæ Goslarienſis conſulem, quarum altera (*a*) docet, quæ litterarum ſtudia, quo fine, quo ordine ac modo colat ingenioſus adoleſcens; altera (*b*) de puerili educatione ad litteras agit, prolatis ſimul viris non vulgari doctrina præditis, nationis Weſtphalicæ; qui ab annis circi-

 ter

(*y*) Addit. ad Vogler. Introd. in notit. B. S. p. 154. (*z*) Helmſt. 1610. (*a*) Goslar. 1610. edit. (*b*) Helmſt. 1605.

ter ſeptuaginta de litteris bene meriti exiſtimabantur. Hanc *Io. Goes* variis de Weſtphalia opuſculis (*c*) adiecit. Publicauerat *Caſelius* (*d*) *epiſtolam* longam admodum, *ad Iacobum Schenckium* ſcriptam. Hanc cum magnus Iureconſultus, *Conr. Rittershuſius*, eruditiſſime, grauiſſime, atque perbeneuole ſcriptam cognouiſſet, iterum edendam iſtam putauit, quo pluribus legendi copia fieret, eiusque fructus latius diffunderetur; ſiquidem ipſa non ſoli *Schenckio* ſcripta videbatur: *Iacobo Kotzio* denuo editam nuncupauit, quam in ſtudiis, tamquam cynoſuram nautæ, ſequeretur; iambosque aliquot ſententioſos *Ios. Scaligeri*, quos *Helias Putſchius* cum ipſo communicauerat, mantiſſæ loco adiecit. Hanc tamen ad *Schenckium* epiſtolam *Fuchtius* ad viros nobiles epiſtolarum volumini inſeruit. (*e*) Quam plurimas quidem recenſere adhuc poſſem elegantiſſimas epiſtolas, quæ in commemoratis voluminibus deſunt; ſed catalogum earum conficere non attinet: *Cl. Ernſtius* talem tradere ſuſcepit, etſi & huic deſint adhuc non paucæ epiſto-

(*c*) ibid. 1668. 4. (*d*) Helmſt. 1604. (*e*) pag. 115.

ſtolæ iucunditatis conſiliique pleniſſimæ. Earum, quas ſparſim a *Caſelio* editas recenſet *Ernſtius*, dimidia fere pars a *Cl. Dransfeldio* poſthac in opere epiſtolico, & antea a *Vagetio* in mantiſſa de integro edita eſt: vnde coniecturam facio, mantiſſam hanc ei inuiſam fuiſſe. Paucas ego dumtaxat nominare volui, ne quis perſuaderet ſibi, omnes ac ſingulas epiſtolas a *Caſelio* ſeparatim editas in voluminibus iſtis contineri. Multo minus crediderit quis, omnes, quas vmquam ad eruditos ſcripſerit optimus vir, lucem aſpexiſſe. Præter iſtas quas *Ernſtius* in catalogo iſto ſuo numquam publicatas refert, multæ adhuc paſſim latitant. *Scaliger* adfirmabat, (*f*) ſe, ſi ambitioſus eſſe voluiſſet, magnum Caſelianarum epiſtolarum volumen facile potuiſſe in lucem proferre. *Heinſium* quoque non paucas huiusmodi epiſtolas habuiſſe manuſcriptas, *Vinc. Fabritius* perſuaſit olim *Vagetio.* (*ff*) Inter epiſtolas ipſis eruditorum manibus ſcriptas, quas *Hugo Blotius*, primus bibliothecarius Cæſareus, Vindobonenſi bibliothecæ vna cum reli-

(*f*) Scaligerian. alter. p. m. 46. (*ff*) orat. & epiſt. p. 302. edit. Francof. 1685. 8.

quis libris ſuis legauit, triginta ſeptem a *Caſelio* ad ipſum *Blotium* ſcriptas numerari, *Lambecius* teſtatur. (*g*) In Gudiana bibliotheca, nuper eheu diſtracta, integram Caſelianarum epiſtolarum centuriam adſeruatam fuiſſe, *Morbofius* teſtis eſt. (*h*) Verum inter doctiſſimorum virorum epiſtolas, quæ ex Gudiana bibliotheca curante *Petro Burmano*, clariſſimo viro, editæ ſunt, nonniſi nouem *Caſelii* epiſtolæ repeiuntur, (*i*) quarum octo ad *Ioannem Kirchmanum* ſcriptæ ſunt, & vna ad *Iacobum Bordingum*. Quo reliquæ nonaginta peruenerint, vtrum in faſciculis iſtis, quorum in catalogo laudatæ bibliothecæ mentio fit, adhuc fuerint, equidem neſcio, In manuſcriptorum Sora Helmæſtadium receptorum indice, cuius ſupra memini, quam plurimi epiſtolarum faſciculi annorum ſerie diſtincti commemorantur. Maximam tamen earum partem editam iam eſſe, ego mihi perſuadeo.

Præcipua Caſeliana ſcripta ſic perſecutus ego mihi videor: in quibus licet concordiæ ac pacis ſtudioſiſſimus vir ab omni maledicto abhorruerit, & tantopere abſtinue-

(*g*) Lib. I. Comment. de biblioth. Vindob. pag. 55. (*h*) Polyh. lib. I. p. 299. (*i*) an. 193. 201.

nuerit a friuolis, vt nihil, nisi vera atque perspicua & publice & priuatim salutaria scriberet; tamen cum maledicentia suspicetur semper calumnieturque, in minutis hoc sibi accidisse quæritur, (*k*) adeo, vt ne vna quidem scriptorum suorum pagella immunis fuerit ab eiusmodi periculo. Verum etiamsi barbaries Musis maxime aduersa, & liuor præstantiores in primis inuadens, negotii multum ipsi facessiuerint: superare tamen eum haud potuerunt; quippe qui illam, *Rhodomano* teste, (*l*) validis vocis atque calami telis tam fortiter profligauit, vt gemens loco cedere coacta sit. Nec liuor, cum insontem petierit, lucri quicquam retulit. Summi nihilominus viri moleste potius tulerunt, (*ll*) quam mirati sunt, virum ea pietate, ea integritate, iisque litteris in tanto inuidiæ pelago tamdiu iactatum esse; cum scirent, hoc cum omnibus probis commune ipsi fuisse, qui improborum pila fere sint atque ludibrium. *Ernstius* multa *apologetica scripta*, quibus vir innocentissimus calumniam propulsare studuit, recenset. Quæ quoniam maximam partem nondum publicata sunt,

 ego

(*k*) ep. ad H.G. Rhuman. p. 623. op. epist. Dransf.
(*l*) in Idyll. cit. (*ll*) Ios. Scalig. ep. 270.

ego duo tantum, quæ in lucem edita, in præſenti proferam. Huiusmodi ſunt quatuor *ad Danielem Hoffmanum*, academiæ Iuliæ theologum, *epiſtolæ*, accuſationi, quam philoſophi Helmæſtadienſes aduerſus eumdem *Hoffmanum* inſtituerant, præmiſſæ. (*m*) Controuerſia inter hos fuit, an bonæ litteræ atque philoſophia eccleſiæ atque ſacrarum litterarum cultoribus ornamento ſint, vtiles, nec non neceſſariæ, quod *Hoffmanus* negare videbatur. Epiſtolas tamen iſtas cum reliquis inſcio neque rationem illam probante *Caſelio* vulgatas eſſe, ipſe exemplo cuidam manu adſcripſit: primam epiſtolam magna ex parte Græce ſe ſcripſiſſe ibi adfirmat, at Græcum verbum in edita comparere nullum; quædam præterea perperam eſſe ſcripta. Alterum Apologeticum, quod ipſe edidit, (*n*) ſcriptum, eſt *διαμαρτυρία aduerſum duos ſycophanticos libellos, in contumeliam aliquot academiæ Iuliæ philoſophorum nuper Lemgouiæ editos.* Quos ex eodem ouo emerſos dicit. Aduerſarii *Caſelium* cum primis adgrediebantur, hæreſeos crimine eum accuſantes. Qua de re multa in decimo

(*m*) 1600. 4. edit. (*n*) Helmſt. 1600.

cimo quarto epiſtolarum *Caſelii* a *Dransfeldio* editarum libro leguntur: quæ ſcilicet nomina optimo viro, tam præclare de republica promerito, impoſuerint, quibus conuiciis eum ſint conſectati.

Verum fac fuiſſe vnum aut alterum, cuius inuidiam incurrerit *Caſelius*, quam nemo facile declinare, contemnere tamen poteſt. Fac *Caſelii* nonnullos diſſimillimos fuiſſe, qui eum maledictis inſectati ſint. Multo maior ex aduerſo illorum numerus produci poteſt, qui virum raris ingenii dotibus & eximia virtute præditum plurimi æſtimarint, nihil magis in votis habentes, quam vt commemoratæ hactenus lucubrationes in vnum quaſi corpus redigerentur. *Conringius*, ſummi iudicii vir, vehementer id exoptauit, qui omnium Caſelianorum tam eximias virtutes eſſe confirmat, (*o*) vt nunc quoque digna ſint, quæ illi, quibus ſincera virtus cum ſermone Græco pariter ac Latino coniuncta in iuſto pretio ſit, diu multumque in manibus habeant. *Morhofius*, quo ſuperius ſæculum maiorem polyhiſtorem non habuit, *Caſelii* opuſcula vno volumine comprehenſa ma-

(*o*) epiſt. ſæpius citat.

gnopere itidem desiderauit. (*p*) Celeberrimus *Crenius*, vt vtilissima hæc scripta ab interitu vindicentur, hodieque expetit. (*q*) Sed quis omnes, quibus idem maxime in optatis adhuc fuit, enumerare posset? *Conr. Rittershusius* post obitum statim *Caselii Horneium* per litteras diligenter exhortatus est, vt omnia Caseliana accurate collecta, dum simul ederentur, magna cura adseruaret: nihil enim istorum esse, quin luce dignum & eximium prorsus foret. (*r*) Serenissimi adeo Brunouicensium Duces clarissimis viris hac de re negotium dederunt; vt scilicet Caselianas commentationes summo studio conquisitas in lucem proferrent. Nam & hi iudicabant, nihil vtilius fieri posse, quam si tot & tam aureæ lucubrationes in omnium manibus essent, & a studiosa iuuentute sedulo cognoscerentur; cum nemo de ipsius ad eloquentiam, virtutem, ciuilemque prudentiam educatione præclariora prodiderit. (*s*) Nec vero defuerunt tum, qui saluti publicæ consulturi, editionem moliti sunt.

Moli-

(*p*) Polyh. l. I. p. 298. (*q*) Animaduers. philolog. & historic. P. I, p. 76. (*r*) Hornei in præfat. op. Casel. politic. (*s*) ibid.

Molitus eam eſt *Chriſtophorus Heidmanus*, ſed fruſtra: debemus tamen ei Caſeliana quædam, ſupra a me citata. Hic poſtquam abiiſſet in Daniam, ibique paullo poſt mortuus eſſet, *Conr. Horneius* id, quod *Heidmano* præſtare non licuit, effecturus tum putabatur: præter enim quam quod magni *Rittershuſii* hortatu excitatus fuerat, mandata itidem de Caſelianis ſcriptis colligendis, publicisque ſumptibus edendis a principe habebat. Pietas præterea erga præceptorem, ac beneficiorum ab eo acceptorum memoria, & publicum in primis commodum editionem ab *Horneio* expoſcere videbantur. Quare omnem moram abiiciendam, ac rei demum initium faciendum cenſuit; præſertim cum *Ioachimus Gœtzius*, præcipuus Brunſuigenſis conſiliarius, operis acceſſiſſet exactor. Primam tum Caſelianorum adornauit partem, in quam tria ſupra indicata politica opuſcula coniecit, in quibus ſingulas ſententias ſingula teſtimonia eſſe iudicabat: vt & reliqua ordine ſubſequerentur, facturum ſe ſpopondit ſimul, ſed nihil plane ſubſecutum eſt præter duas iſtas rhetoricas commentationes. Cum igitur deſiderio eruditorum hoc modo nondum

dum satisfecisset *Horneius*; quippe minima Caselianarum lucubrationum pars edita sic erat. Alii adhuc existebant viri, qui de reliquis edendis capiebant consilium. Eodem fere tempore, quo *Horneius* de editione cogitabat, *Ioannes Kirchmanus* de eadem maxime etiam erat sollicitus; cui *Ianus Gruterus* persuaserat, ipsum hac opera philologis gratissimum facturum fore. (*t*) Antea autem *Henricus Hudemanus* huiusmodi quoque consilium iam inierat, adeo, vt *Caselii* monumenta ab se edita exspectari posse fidem daret. (*u*) Postquam vero ab laudatis hactenus viris nihil effectum erat, omnium studium hac in re superaturus videbatur *Henricus Ernstius*, cum saepissime nominatam distributionem publicasset: quamquam plurima scripta fuerant, quae cognita quidem habebat, sed ab eruditis, apud quos laterent, adhuc exspectabat; & quamquam permulta notitiam ipsius fugiebant prorsus. *Sperlingium* idem consilium frustra agitasse, *Morbofius* testatur, in cuius bibliotheca pleraq; *Caselii* scripta adserua-

(*t*) epist. ad Kirchm. 122. 123. 124. cum aliis Cl. Burmani cura ex biblioth. Gudian. edit.
(*u*) praefat. carm. gnom. Casel.

ſeruata fuiſſe dicit. (*x*) Clariſſimus denique *Dransfeldius*, cum poematum centuriam ederet, ſpem denuo concitauit, facturum ſe tandem aliquando, vt tamdiu deſideratæ *Caſelii* lucubrationes prodirent. quod vt faceret, *Conringius* publico quaſi nomine obteſtabatur, demonſtrans, ipſum nulla re orbem rectius poſſe demereri. (*y*) Neque vero a clariſſimo hoc viro tam diuturna exſpectatio adhuc expleta eſt. quo tamen nemo facilius præſtare id poſſet, cum, vt TV, VIR celeberrime, narraſti mihi, omnes Caſelianas lucubrationes ipſe habeat. Cum itaque ſpes a viro hoc concitata eruditos iterum fruſtrata videretur, noua ſpe ducti ſunt, TE optatis demum reſponſurum eſſe: id quod mihi etiam, cum Ienæ adhuc viuerem, perſuaſum fuerat. Ea re quamprimum in Iuliam perueneram, ex TE ſciſcitatus ſum, an ſpes adhuc eſſet reliqua. quid vero a TE reſponſum tum mihi ſit, in principio iam commemoraui: editionem nempe optandam magis, quam ſperandam eſſe.

Quid in cauſſa ſit, cur editio hæc toties fruſtra ſit ſuſcepta, multi fortaſſe, & quidem non

(*x*) Polyh. lib. I. p. 298. (*y*) in citat. epiſt.

non iniuria, interrogauerint. *Ianus Gruterus*, ne *Caselii* lucubrationes perpetuo desideraturi simus, verebatur iam tum; praesertim si *Ioach. Tonagli*, a quo diligentissime eas collectas esse cognouerat, bibliotheca esset distracta. (z) *Tonaglo* huic etsi senatus Lubecensis pharmacopolii tantum curam crediderat: *Caselius* tamen de eo praedicat, (a) studiorum humanitatis cultorem ipsum fuisse eximium, qui ingenuis artibus sic excultus, ac in veterum scriptis tantopere versatus fuerit, vt horum similia, si conabatur, ipse pangeret. Sed licet viri huius bibliotheca iam pridem dissipata sine dubio sit; & licet is, qui *Caselii* pro arte poetarum orationem denuo edidit, (b) asseueret, ex huius intimis familiaribus quosdam fuisse, qui nonnulla ipsius monumenta numquam viderint: mihi tamen persuasissimum est, omnia haec ex diuersis bibliothecis colligi adhuc posse. Equidem cuncta me memorasse, nemini persuadere cupio: *Caselium* certe pauca admodum praeter ista publicasse, confido. quae vero

(z) ep. ad I. Kirchm. ex bibl. Gud. a Burman. edit. 21. (a) progr. funebr. Schellenberg. script. (b) Helmst. 1638.

vero protuli ſcripta, omnia, ſi quam pauciſſima excepero, vbi latitent, non ignoro; qui, vt ipſe inſpicerem ea, ſtudioſe operam dedi. Aliam igitur cauſſam, cur editionem toties fruſtra moliti ſint, ſubeſſe puto, præcipue quando in *Cl. Dransfeldii* bibliotheca omnia Caſeliana adſeruentur. *Heidmanus*, *Horneio* teſtante, (c) publico bono principisque voluntati hac in re plane non defuiſſet, vtpote qui præceptoris ſui exemplo publicæ vtilitati totum ſe addixerat, niſi calamitoſa tempora incidisſent, & ipſe mature nimis mortalitate fuiſſet interceptus. Quid obſtiterit ſibi, quo minus conſilium, quod ceperat, exſecutus ſit, ipſe indicat, quando illorum, qui rem librariam exercuerint, voluntatem ſtudiumque defuiſſe ſibi adfirmat. (d) Eadem hæc quin *Hudemano* atque *Sperlingio* defuerint, non dubito. *Ernſtius* certe, cum diſtributionem ſuam ederet, metuebat, (e) ne & ipſe temporum hominumque iniquitatem in ipſa Caſelianorum editione experiretur. Vtrum *Cl. Dransfeldius* de eadem iniquitate conqueratur, ignoro: dubitandum

(c) præfat. op. Caſel. polit. (d) præfat. enchirid. precat. (e) præfat. diſtrib. libr. Caſel.

dum saltem non est, quin, si in ipso solo situm adhuc fuisset, iam pridem promissis stetisset suis. Sed quoquo modo se res habet, cum mecum reputo, tot boni publici studiosissimos viros editionem frustra tentasse, omnis fere spes concidit; ita, vt TIBI, celeberrime VIR, quilibet facile adsentiri posse videatur, istam optandam magis esse, quam sperandam. Nisi *Cl. Dransfeldius* summe reuerendi Fratris TVI cohortatione, quæ non ita pridem reliquis summorum virorum hac in re accessit obtestationibus, *(f)* concitatus, omnia, quæ editionem impediuerunt adhuc, superarit. Id quod maxime omnino optandum est, atque eo magis, quod opera etiam ista, quæ *Horneii* studio de integro prodierunt, in tabernis librariis iam dudum venire desierint. Ex editione ea, si prostaret, vberrimi ad plurimos redundare possent fructus. omnes pluris æstimaturos fore *Caselium*, confidebat Heidmanus, *(g)* si scripta eius, indigna, quæ tenebris quasi addicta perpetuo delitescant, in lucem & conspectum eru-

(*f*) præfat. Dransfeld. Allocut. præmiss.
(*g*) citat. præf.

eruditioris orbis producerentur. Præ mille aliis aliorum nugis, *Grutero* ita iudicante, (*h*) lucem mererentur aſpicere; cum ſint, qui vnicam a *Caſelio* conſcriptam pagellam, quam reliquarum ineptiarum, quibus tabernæ nunc diſtenduntur, totas ſtruices legere malint. (*i*) Cum *Vincentius Fabritius Vagetii* rogatu typographum, qui Caſelianas epiſtolas imprimeret, fruſtra quæſiuiſſet, ſe comperiſſe tum dicit, (*k*) hoc noſtro ſæculo vſitatiſſimum eſſe, homines vtilitatem publicam in minimis ponentes, de priuato commodo vehementius laborare. vilium ſcilicet chartarum, quibus aut ſcurræ delectentur, aut grauiſſimorum hominum proſcindatur fama, tota quotidie in vulgus extrudi plauſtra: clariſſimorum contra virorum, quorum eruditio ac virtus ſæculo dicata ſit, curas faſtidiri. Bibliopolæ quidem non ſoli, vt puto, in culpa ſunt, qui ad ſæculi genium accommodare ſe conſueuerunt. Hi Caſeliana ſumptibus ſuis denuo edere minus fortaſſe recuſaturi eſſent, ſi elegantiorum litterarum cultorum

Y

(*h*) cit. ep. ad Kirchm. (*i*) *Vinc. Fabritius* epiſt. p. m. 167. (*k*) ibid.

rum maior esset numerus, quo plures sese offerrent emptores. Tribus circiter abhinc annis bibliopola Ienensis *Sturmii* elegantissimum de lingua Latina resoluenda libellum, supra prædicatum, prelo iterum subiici curauit, promittens simul, se reliqua *Sturmii* monumenta sumptibus suis publicaturum esse, si iste libellus ex sententia venderetur. sed quantum ego intelligere potui, nihil amplius de Sturmianis posthac comparuit; vt valde adeo dubitandum sit, an bibliopolæ heredes promissa ista persoluere potuerint. Sic inuida fata laudabiles maxime conatus prohibent plerumque ac reprimunt. Quo diutius vero intermissa fuerit Caselianorum editio, eo diligentius illis, qui tanto bono perfrui cupiunt, vigilandum erit, an forte ex bibliothecis auctione publica diuendendis adquirere queant aureas has lucubrationes. qua in re felicem ego me existimo, qui ex duabus huiusmodi bibliothecis non spernendam istarum partem nuper impetrarim.

Hæc sunt, quæ de *Caselii* præclaris erga bonas litteras meritis, eiusque monumentorum præstantia epistola hac ad TE scripta pro-

praeferre constitui. in qua scribendi licet materies tantum mihi creuerit, vt epistolae fines egressus videar: tanta tamen praestantissimi viri meritorum magnitudo est, vt minimam eorum partem scribendo sim complexus. Plurima ex ipsius *Caselii* scriptis excerpsi, quod facile cognoueris, etsi, ex quibus sumpserim ea, a me saepius non fuerit indicatum. quo minus id factum sit, ingens prohibuit scriptorum numerus, quae, cum paginae, vt nosti, adscriptae istis non sint, difficillime citantur. accedit, quod si omnes lucubrationes, epistolas omnes indicare voluissem, ex quibus, ipsis fere *Caselii* verbis retentis, mutuatus quaedam sum, integrae paginae solis allegatis locis saepe essent completae. Exspectationi TVAE si minus satisfecero, conatum saltem & grati animi declarandi studium TE non improbaturum confido. Vale, celeberrime VIR, & TVAM in me beneuolentiam, si dignum me ea cognoueris, conserua. Scribebam Wolffenbutteli IV Id. Mart. CIↃ IↃCC VII.

PROGRAMMA,

quô ad

FUNEREAS EXEQUIAS

VIRO CLARISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

MARCO HASSÆO,

Philoſophiæ Doctori, Linguæ Sanctæ Profeſſori bis emerito, adeoque juſtis honeſtiſſimis dignisſimo,

Hodie horâ media primâ parandas, cohoneſtandas,

Domini Profeſſores, Doctores, Magiſtri, Verbi divini Miniſtri,

omnesque cives & incolæ literatis faventes invitantur.

P. P.

RECTORE

THOMA LINDEMANNO,

Jurium Doct. & Profeſſore.

ÆTatis humanæ ante cataclyſmum univerſalem ultra nongentos annos extenſæ & productæ, poſt verò ſenſim reſtrictæ & breviſſimis terminis circumſcriptæ, cauſas naturales ſollicitè indagare viri docti complures ſategerunt. Alii victus rationi, alii aëris temperiei, alii diverſæ annorum computationi, alii malitiæ hominum creſcenti & inde nativo calori imminuto, alii aſtris, alii occultis numeris Pythagoricis, varietatem hanc tribuerunt. Et certè diætam ciborumque delectum ætati protrahendæ conferre, Plinius & Herodotus exemplis Æthiopum macrobiorum teſtantur: idem de Cyrio Athenæus, de Democrito, Hippocrate, Sophocle, Heſiodo, Apollonio, Demonace, Pollione Romano & Galeno, aliisque viris doctis, centeſimum ætatis annum ſuperſtitibus, Cœlius, Volaterranus, Laërtius, imprimis verò plurimis Polybiorum exemplis congeſtis Phlegon Trallianus in Catalogo longævorum demonſtravit.

Aëris quoque diverſam conſtitutionem ſub certis cœli climatibus vitæ telam producere vel abrumpere Oroſius notat, dum nonnullas provincias à morborum affecti-

bus penitus immunes & innoxias esse memorat. Pythagoricæ quoque climaci seu scalæ fatalem aliquam vim inesse experientia docuit. Astrorum oppositiones, conjunctiones corporibus humanis dominari exempla innumera evicerunt. Aristoteles causam animæ & corporis celerioris διαλύσεως primam materiam πολυμόρφην esse ait, quæ pertæsa ignobilioris domicilii, corporis scil. naturalis, aliam formam nobiliorem & meliorem appetat. Rationes hæ & similes humanæ mentis acie adinventæ, ad normam verbi divini revocatæ haud consistunt. Paulus Apostolus veram causam mortis non ex Philosophorum, sed Spiritus S. Schola depromens, peccatum esse κέντρον καὶ ὀψώνιον τοῦ θανάτου scribit: Ejus verò adventum certum, momentum & terminum soli Jehovæ cognitum, ejusdem arbitrio præfixum, nobis absconditum, brevem, longum, adeoque incertissimum esse, cùm Patriarcha tùm Prophetæ pluribus locis graphicè depinxerunt, comprobarunt. Peccati autem lex quò abundantior, eò humano generi adgnata, imò ingenita à primis parentibus, nec citior esse cœpit, attestante ipso Jehova, Gen. VI.

Lon-

Longævam tamen vitam inprimisque canitiem, Syracidis corona, Timore Domini & variarum rerum peritiâ, exornatam inter benedictiones divinas reputari, Moses Devt. XI. & David Psal. XCI. confirmant.

Benedictionem talem expertus quoque est Vir Clarissimus, MARCUS HASSÆVS, Philosophiæ Doctor, in hac Alma nostra Academia quadraginta annos publicus Professor, Collega noster honorandus, qui climactericum egressus decimum, vitæ satur, in timore Domini bonam militiam militans, ad finem constanter perseverans, hujus mensis die 9. vitæ caducæ carceres relinquens, in cœlestem patriam migravit, ibidemque corona æternæ gloriæ redimitus & cinctus in cœtu electorum velut lucidissima stella coruscat.

Natus autem fuit piè defunctus Anno 1549. die lunæ post Dominicam Jubilate, Havelbergæ, Marchiæ, Episcopatu nobili civitate, parentibus honestissimis, patre JOACHIMO HASSÆO, cive ejus loci primario, & matre honoratissima, CATHARINA SALEMANS. Fratres habuit duos, MATTHIAM & IOACHIMVM, illum in Marchia,

hunc verò apud nos ante paucos annos in πολίτευμα cœleste præmissum; sorores itidem duas, BARBARAM & ANNAM, ex quibus omnibus nepotes neptesque prognatas paterno affectu adamavit, liberorumque loco censuit, ad virtutis viam manu quasi duxit & amoris, ac laboris hujus in nepotibus, inprimis verò Viro Amplissimo, prudentissimo, IOACHIMO HASSÆO, Reip. Perlebergensis Consule, Practico eximio, amico nostro singulari, nec non ejusdem fratribus & fratruelibus percepit: qui omnes cum Epaminonda, quod virtutis suæ spectatorem hunc patrem patruum habuerint, meritò volupe sibi duxerunt. A parentibus prædictis piè defunctus à teneris, quod dicitur, unguiculis in timore Domini enutritus & educatus, infantilem ætatem egressus, præceptoribus patriis commissus, ab iis primis literis informatus, indolis generosioris signa indubia edens, patrem permovit, ut ipsi alias quoque scholas triviales adeundi & frequentandi licentiam faceret. Primò itaque Anno 1561. in Pritzvvaldensem, deinde Anno 1563. Seehausensem, scholas ablegatus, in quibus principia in patria hausta excoluit, artium humanio-

niorum & politiorum adminiculis firmavit, atque hocce ſubſidio ſuffultus, virtutis callem gradatim non per ſaltum (prout multi auſu temerario & Icario tentant) ſcandens, Magdeburgenſe Gymnaſium acceſſit, in eoque viris celeberrimis, SIGFRIDO SACCO, DIONTSIO TRAGENDORFFIO, GEORGIO ROLLENHAGIO, clavum litterarium moderantibus, Xyſtum Philoſophiæ feliciter decurrere cœpit; in quo, quantum tyroni ſat erat, exercitatus, Wittenbergam, velut uberiorem ſcientiarum mercatum & ἀγορὰν ἐλευθέραν contendit, ibidem Muſis ſublimioribus initiatus & alumnus fidelis agnitus fuit. Inſuper anno 1571. felici auſpicio ad almam matrem hancce, noſtram Academiam ſe convertit: eamque ſibi propitiam & Mœcenatum plurimorum conciliatricem reperit. Unde & eam velut fidam nutricem per integrum quinquennium coluit, alios docendo ſemetipſum erudiit & Encyclopædiam integram abſolvit. Unde nec Muſæ hunc ſtrenuum & induſtrium antiſtitem præmiis condignis defraudarunt; ſed in Academia Francofurtana, quam Anno 1577. ſalutatum iverat, ſummis Philoſophiæ honoribus decorarunt: qui-

bus licet clarus & fulgens, ulterius tamen inclarescendi & virtutis radiis coruscandi cupidine flagrans, Lipsiacis quoq; Musis litavit & in earundem sacrario specimina ingenii præclara edidit. Tandem fatis ità destinantibus, almam hanc matrem suam revisit, ab eadem maternô affectu & amplexu receptus, Junoni juxta ac Apollini commendatus, pedem figere jussus est. Juno namque amoris honesti pedicas ei injecit: Apollo stationem, in qua cum laude & fructu se exercere & velitando honori suo velificari posset, aperuit. Vocationi divinæ itaque lubens paruit, & annum agens trigesimum, adeoque in ipsa virili ἀκμῇ constitutus, Anno 1579. conjugium (quod Paulus ICtus vitæ omnis consortium, juris divini & humani communicationem definit) iniit, cum puella honestissima omnium virginalium, virtutum splendore conspicua, ANNA Schröders/ LAVRENTII Schröders/ civis hujus urbis primarii, filia. Accidit sub idem tempus, ut Professio Pædagogica vacaret. Cùm itaque piè defunctus & patronis & Academiæ patribus eruditionem & in docendo dexteritatem probasset, præ omnibus aliis dignus & idoneus omnium suf-

ſuffragiis, cui vacans functio demandaretur, reputatus eſt. Unde Anno 1580. Profeſſor Pædagogicus & Collegii Fratrum Inſpector delectus, & ſolenni Introductionis ritu interveniente, declaratus eſt. Spartam hancce ſibi commiſſam tantô ſtudiô, induſtriâ & fide exornavit, ut ſervi fidelis apud Evangeliſtam exemplo pluribus & gravioribus expediendis præfici meruerit. Unde & Profeſſio Philoſophiæ Moralis ſimul cum Pædagogica, præviâ Collegarum legitimâ nominatione, Anno 1584. ipſi commendata; quâ occaſione in numerum Senatorum Concilii cooptatus, omnibus charus Collega extitit & officia hæc conjunctim usque ad annum 1595. tantâ fide obiit, ut utrumqve Academicum Collegium ad æmulationem usque Virum hunc promotum cuperet. Vacante itaque Sanctæ Linguæ Profeſſione, ad commendationem Viri incomparabilis, DAVIDIS CHYTRÆI, & Politicorum bonorum Phœnicis IACOBI BORDINGI, aliisque Collegis conſpirantibus (οἷς νῦν ἐν ἁγίοις) à Divo VDALRICO, Duce Megapolitano, Patriæ Patre, Academiæ Cancellario & Patrono clementiſſimo, ad ſublimiorem prædictam functionem evo-

vocatus, tertiâ vice anno 95. publicus Hebrææ Linguæ Professor proclamatus est.

Talentum hoc novum sibi concreditum ita collocavit, ut ejusdem fœnore Ecclesias & Scholas innumeras ditarit & laticibus Israëlis fontibus limpidissimis irrigarit. Nec enim publicè tantùm fideliter & indesinenter docuit, sed & privatam scholam domi suæ apertam habuit, ex qua præclara Ecclesiæ, Scholæ & Reipublicæ organa adornata, velut ex equo Trojano eduxit. In statione Academica rarô & singulari exemplo per integros 40. annos miles Dei animosus & constans perstitit, eôque ipsô non rude tantùm donari sed & ex ICtorum communi sententia duplici comitativa dignitate ornari meruit, arg. l. 1. C. de profess. qui in urb. Constant. Decies Decanatu, bis Rectoratu, ter Pro-Rectoratu, sine cujuspiam justa reprehensione, functus est. Inter ingenii monumenta, quæ reliquit, principem locum sibi vendicat Paraphrasis Psalmorum Epica & Sapphica. Præceptoribus quoque suis & amicis, quorum institutione & conversatione familiarius usus est, Carmen Eucharisticum Heroicum dicavit. Porrò Anno 1613. thori fidâ consorte, senectutis scipio-

pione, orbatus, viduum lectum aliquandiu pressit, ast Jehova Directore & proxenetâ Anno 1614. d. 21. Septembris ad secunda vota transiit, & virginem lectissimam ac pudicissimam CATHARINAM Flindtes/ MATTHIÆ Flindtes/ civis hujus urbis primarii, filiam, nunc viri spectatissimi, IOACHIMI SNOKELS, privignam, vitæ sociam sibi delegit, cum qua tranquillè & placidè sexennium transegit.

Conjugium utrumque licet sterile, attamen non minus concors, ac si pluribus pignoribus conjugalibus firmatum fuisset, est expertus. Ab obitu Viri Consultissimi, BARTHOLOMÆI CLINGII, ICti eminentissimi, Pro-Soceri nostri honorandi, inter Professores Senior extitit. Postquam verò annum septuagesimum climactericum, humanæ vitæ terminum exsuperasset, & horam ultimam adventare adverteret, ac in omnibus membris nuncium ejusdem sentiret, ad piam ex hoc ergastulo emigrationem cotidie se paravit, viatico salvifico sangvinis & corporis Christi se instruxit & subinde versiculos proprios ob oculos positos, ultimâ senectâ fusos, ingeminavit:

Qui

Qui me servasti puerum, juvenemque, senemque,
Infirmum serva, nunc quoque Christe senem.
Donec ad æternæ cœlestia gaudia vitæ
Ducar, ubi Angelicâ voce Haleluja canam.

Voti huius tantopere expetiti 9. huius mensis die compos factus est. Cum enim à Michaëlis festo raucedine continuâ laborasset, inde humore radicali sensim deficiente, spiritibus & alimentis via obstructa esset, tandem marasmo senili inter horam 12. & 1. dicto die, sopore quasi obdormiscens, placidè exspiravit. Subtractiones columnarum lapsus ædificiorum subsequi: Obitus seniorum fatales Rerump. & Scholarum paroxysmos & periodos præsagire solent: Stilico, Ambrosio Episcopo è vivorum numero erepto, vastationem Italiæ prædixit, eventusque probavit. Ast facessant oscines infausti, omnibus funestis occurramus piis votis, iisq; pœnas promeritas à patronorum nostrisq; cervicibus avertere studeamus. Quod superest, Seniori nostro debita justa exsolvamus. Senectus, Callistrato ICto teste, Romanis venerabilis fuit: Atheniensibus piaculum erat, si senibus vivis non assurrexissent, piis manibus non sacrificassent.

ſent. Collega noſter piè defunctus nulla à nobis ſacrificia, ſilicernia nulla, non corollas, cupreſſus, amaranthum ſimilemque pompam, ſed exequias chriſtianas expoſcit. Quas neminem reperiri in Academico cœtu exiſtimo, qui ultrò & ſponte præſtare non aveat.

Cum itaque hodierni diei hora media prima funebri deductioni indicta ſit, rogamus, monemus & hortamur omnes Academiæ cives, ut eam cohoneſtatum in æde Mariana frequentes confluant, erga Seniorem, Collegam, Præceptorem, Patrem, ejusque relictam mœſtam viduam totamque adeò familiam, imprimis verò matrem hancce ſuam communem, amorem, mœrorem, benevolentiam & συμπάθειαν, conteſtentur, finis citô pede ſubſequentis piè recordentur, Deumque, is vulnus hocce Academiæ inflictum ſanet & conſolidet, precentur. P.P. Roſtochii, 11. Jan. Anno M. DC. XX.

Programma aliud funebre propoſitum eſt eodem die à Decano & Profeſſoribus Collegii Philoſophici.

SCRI-

SCRIPTA.

Paraphrasis Psalmorum Epica.

Psalmi Davidis carmine sapphico.

Vid. Henningus Wittenius Diar. Biogr. T. 1. ad annum MDCXX. lit. Q.1.b.

Ἐπαινετικὸν καὶ μνημονευτικὸν Dnn. Præceptorum, quos ego inde ab adolescentia mea ad ultimum usque vitæ actum, tùm in celebri Schola Magdeburgensi, tùm in septem Academiis Germanicis & Regia Haffniensi, publicè & privatim Hebraica partim docentes audivi, partim conferendi de iisdem animo conveni, & amicorum, quos in aliis quibusdam civitatibus celebribus studiorum Hebraicorum amore mihi conciliavi, M. Marcus Hassæus, Havelb., in Alma Rost. Acad. Hebr. Ling. Profess. Publ. Rostochii 1608. in 4.

PRO-

PROGRAMMA,
Quô
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
JOHANNES CORFINIUS
S.S. Theol. D. Moralium Professor
& ad D. Mar. Pastor,
Ad
EXEQUIAS,
Quas
VIRO EXCELLENTISSIMO ET CLARISSIMO,
DN. M. CHRISTIANO ARNDIO,
Logices Professori in Universitate
hac Ordinario & laudatissimo,
MARITO SUO DESIDERATISSIMO,
Magna cum animi ægritudine paratura est
VIDUA RELICTA MOESTISSIMA,
Hodie hora 1. in Templo Jacobæo
Cunctos Universitatis Cives peramanter &
sedulò invitat.

Z Non

NOn ita pridem Viros duos ex celebriore Gustroviensi sinu transmissos Balthicum hoc Rosetum gremio suo exceperat, qui decore & vigore juvenili decenter florebant, eruditione verò fulgebant præclarâ, de quibus nonnisi egregia & magna deinceps polliceri poterat, sed quæ proh dolor vitæ hujus fugacissima vicissitudo est, illi, qui intra annuum propemodum spatium ad functionem dignitatemque Professorum fuerant cooptati & evecti, intra trimestrem temporis decursum orbi rursum valedixere magnumque sui desiderium universo Academico choro reliquerunt. In extremo anni proximè elapsi exitu Virum admodum Reverendum & Excellentissimum, DN. DANIELEM MICHAELEM, Gustroviensem, S.S. Theol. Doctorem ejusdemque dignissimum Professorem, de Academica juventute præclarè merentem, Amicum, quantisper vixit, conjunctissimum, tumulo commisimus, non absque publico bonorum omnium luctu, sed isto vulnere vixdum aliquatenus obducto, iterum recrudescit dolorosa cicatrix, dùm Collegæ optatissimi & excellentissimi Viri, DN. M. CHRISTIANI ARNDII, Gustroviensis, Logi-

Logices Profeſſoris clariſſimi, funus ſit indicendum, qui juxta cum priore non mediocrem Academiæ ſpem fecerat emolumenti publici. Utinam verò ſubacta eruditionis copia in arcendo mortis immaturæ inſultu quidquam valuiſſet, vel noſtris ſaltem votis aliquid licuiſſet impetrare, ſanè ad ſeros hi ipſi longisſimè ſervati fuisſent nepotes, ſed ut bonorum cæterorum omnium, ita eruditionis quoque affluentia in nece fuganda ne minimum quidem præſtabit. Præclara equidem doctrinæ eſt poſſeſſio, cujus vigorem & conſtantiam nulla belli rabies, tumultus nullus, nulla denique, etiamſi furibunda fuerit, maris tempeſtas, demere aut annihilare valebit, quod ipſum Græci affabrè ſuo apophtegmate pronunciarunt:

Ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστι παιδεία βροτοῖς,

Doctrina non poteſt Domino eripi ſuo,

unde inſigniores aliquot ſapientes poſt immiſſam infortunii cladem intrepidam mentis fortitudinem evidentisſimè aperuerunt. *Ariſtippus quondam naufragio ejectus ad Rhodienſium littus in Gymnaſium venit deque Philoſophia diſputavit; dicentibus verò comitibus, qui de reditu in patriam cogitabant:*

bant: Num quid suis nunciari vellet? jussit dicere, ejusmodi possessiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiam cum naufragio possent unà enatare. Consimile de Stilpone Seneca memorat, in Epist. *Illum* videlicet *captâ patriâ, amissis liberis, ipsâ etiam uxore amissâ cùm ex publico incendio solus exiret, Demetrio (cui cognomen ob excidium urbium Poliorcetes fuit) interroganti, num quid perdidisset? respondisse: Omnia mea bona mecum sunt, adeoque virum fortem & strenuum ipsam hostis sui victoriam vicisse.* Sed quantumvis ea propter Eruditionis possessio eminentissima sit & singulari polleat excellentiâ, neque abs re κτῆμα κάλλιςον indigitetur; attamen nulla omninò ipsius prærogativa est, efficacia nulla, simulac morborum mortisque decumanæ ingruunt procellæ, juxta cum ignorantissimis ipsi etiam rerum divinarum humanarumque indagatores industrii & præclarissimi occidunt, neque ad momentum placatur aut cohibetur sævior mortis impetus. Veruntamen habent eruditiores & generosæ mentis Candidati præ reliqua crassa gente Menenî, de quo sibi haud immeritò gratulabuntur, ipsi etenim

omni-

omnium exactisſimè vitæ evaneſcentis fragilitatem & molem adjunctam moleſtisſimam ponderare queunt, propterea citisſimè ad abitum animos apparabunt, ne inviti, ſed cum animi lubidine ex hac mortalium ſcena emigrent, fluxa quoque floccifacienda eſſe maturè obſervabunt, ne ſcrupulum illa injiciant tardentque animum ad cœleſtia aſpirantem. Brevisſimam fore vitam ignorare ſanè nequeunt, proinde longiorem haud optant, ne moleſtias ſibi eligere videantur, neque fallaci vitæ diuturnioris faſcino proprios divexant oculos. Ærumnoſam fragilemque vitæ conditionem olim adumbraturi ſapientes, totum vitæ tractum nuncuparunt σπιθαμὴν, menſurâ videlicet exiguâ fugacem mortalitatis demonſtrare periodum ſategerunt; quorum ſententiam ſuo quoque calculo confirmavit Pſaltes Regius, dum vitæ dies טְפָחוֹת ſeu palmis aſſimilare haud dubitavit. Nunquam verò ſatis demirari licebit usque adeò in jubare meridiano quosdam cœcutire homines, & cum ipſa ratione inſanire, qui anhelante Spiritu anxiè optant deſiderantque fervidè ætatem longæviorem; ponderare debebant miſeri, quæ quantaque in

 hac

hac valle ærumnis obſepta perpetiantur, neque unquam putare, ſeſe ſemper victuros, neque morituros unquam. Templa cadunt & ſaxa, marmora quoque ferro plumboque conſolidata, & homines merâ fragilitate ſcatentes ſe nunquam morituros exiſtimant. Longiorem annorum ſeriem, & ſexagenariorum vel ſeptuagenariorum ſenium ſingulis annis, menſibus, diebus, ſibi pollicentur, qui ſingulis potius horis momentisque necem imminere præſentisſimam, ruminare debebant. Concinnè hos correxit Morus:

Nugamur, mortemque procul procul eſſe putamus,
Aſt mediis latet hæc abdita viſceribus.
Scilicet ex illa, quâ primùm naſcimur horâ
Prorepunt, junctò vitaque morsque pede.
Partem aliquam furtim quâ ſe metitur, & ipſam
Surripit è vita quælibet hora tua.

Horam emortualem vitam demum decurtare complures autumant, quam tamen unaquæque hora & momentum quodvis depaſcit, ſcilicet

Paulatim morimur, momentô exſtinguimur unô,
Non ſecus ac lampas deficiente oleô.

Falſa eſt computatio, quod creſcere dies cenſeantur, qui re ipſa minuuntur, creſcentibus ſanè hominibus dies decedunt potiùs

quàm

quàm accedunt. Constitue homini nato, septuaginta vel octoginta annos, quicquid vivit, de summa minuit; nihilominus de natalitiis recurrentibus & nobismet ipsis gratulamur, & aliis charissimis. Si vinum tibi minuatur in dolio, tristaris? dies perdis, & gaudes? Mali dies sunt & eò pejores, quia diliguntur; sic blanditur mundus, ut nemo velit finire vitam ærumnosam. Hæc ipsa Hipponensium Antistes pulchrè secum suo seculo ponderavit & aliis expendenda expressit. Neque sola brevitas vitæ tædium injicit, sed præcipuè adversitatum copiosa messis, ipsa enim utcunque brevissima sit, molestiis nihilominùs usquè adeò abundat, ut comparatione ejus mors remedium esse putetur, non pœna; & ideò singularem benignitatem declaraturus, brevem illam Deus fecit, ut molestiæ perplexæ, quæ prosperitate vinci tollique non poterant, temporis exiguitate tandem finirentur. Neque verò unquam vixit ullus mortalium, qui non aliqualem hujus absinthii degustaverit amaritudinem, namque

Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον οὐδενί:

quod si cætera defuerint incommoda, cum propriis decertant curis homines, super-

vacuis ut plurimum neque inutilibus modò, ſed damnoſis quoque & peſtiferis. Quò citiùs itaque hanc ſarcinam licuerit deponere, eò feliciores erunt cenſendi, namque multa pœnitenda occurrunt diu vivendo; hinc Seneca pulcerrimè: *Hoc unum diſcas*, monet, *vitam contemnere.* Nemo illam benè rexit, niſi *qui contemſerit.* Idcircò non infelicius neque inconſultius foret, ſicut in æquore ſolent ſuſpecto nautæ circumſpecti clavum flectere, diuque ante ſolis occaſum ſubmittere vela, ſic in vita portum petere & adhuc florenti ætate atque animo virenti & valentibus membris mori, priusquam eò perventum ſit, quò ſaltem vita longior perducit, ad ultimas ſcilicet anguſtias ſenectutis, inter quas arctari quidam & vixiſſe dolent & mori metuunt, & toties voti exoptatum tempus excuſant, denique, quid velint & quid nolint, neſciunt. Nec tamen propterea imperfectior erit vita, quod finita ſit citò, dummodò honeſta fuerit, ubicunque deſines, ſi bene deſinas, tota eſt.

Quamvis ergò Excellentiſſimus & Clariſſimus Academiæ Profeſſor, DN. M. CHRISTIANUS ARNDIUS, tricelimo ætatis anno nondum

dum absoluto, vitæ cursum jàm absolverit, non idcircò infelicior existimandus est, cùm ad cœlestem Hierosolymam & Universitatem Electorum ocyus concesserit, adeoque obitus beatus felicitatis non minimæ sit particula, sed prodromus gaudii æterni. Hunc nobis cùm fatalis necis terminus surripuerit, nunc pro more ejus indicandæ erunt exequiæ, & illa exponenda, quæ consuetudinis lex recensere postulat. Patriam ante indicavimus, ex illa enim oriundus est vicina civitate, quæ Illustrissimorum Megapolensium Ducum aulâ jàm pridem celeberrima fuit. Gustroviensem indigito sedem. Patrem nactus est istius loci Antistitem, Virum Plurimum Reverendum, DN. M. SAMVELEM ARNDIVM, per integros triginta duosque annos Gustroviensium Verbi Præconem fidelissimum, hodie Diœcesium Rostochiensis & Gustroviensis Superintendentem benè meritum. Affinem & amicum nostrum honoratissimum, cui quantum & quàm penetrabilem hoc discessu immaturo inflixerit dolorem mœroremque Filius primogenitus, litteris præclarè excultus & in Academica dignitate jàm ef-

florescens, illi conjicient facilè, qui non penitus sunt ignorantes, quid στοργὴ paterna valeat; huic itaque Parenti afflictissimo, ut tantum minuat dolorem sacer Spiritus fortitudinis, enixè precamur. Matrem, quam ad cœli gaudia præmissam nunc subsecutus est, habuit ANNAM MERTELIAM, Fœminam moribus & virtute laudatissimam, Viri Reverendi & Litteratissimi DN. ERHARDI MERTELII, Cathedralis Ecclesiæ Gustroviensis per ipsos XX annos Ecclesiastæ vigilantissimi, Filiam. His parentibus in lucem editus, cum cœlesti lavacro lotus esset, ab iisdem privatim ac domi, curâ nunquam interruptâ, pietatis virtutumque rudimenta hausit, atque adeò morigerum placitisque paternis se obsequentem exhibuit, ut destinatâ operâ patriam propensionem non irritaret. Postea in Scholam traditus est Patriæ & litteris cœpit imbui humanioribus, quas pro singulari docilitate ingenii, quâ pollebat, celeriter hausit, atque deinceps coluit successu felici. Rudimenta Linguarum Artiumque doctus in celebrem Luneburgensium missus est ludum, ubi eô quoque studiô impigro & successu laudabili litteris invigilavit, ut demum

Lin-

Linguæ Romanæ & Græcæ instructus, inde in nostram rectà sese conferret Academiam, in qua cùm aliquot ardore commendabili transegisset annos, supremo Philosophorum Gradu ornatus est, & illo velut stimulô excitatus dehinc animum ad studia Philosophica & Theologica exactius excolenda applicuit. Neque verò in patrio duntaxat commorari voluit solo, sed ad exteros migravit & Batavorum famigeratissimas salutavit lustravitque Universitates, atque Lugduni aliquantisper substitit, exinde ad florentissimas Germaniæ concessit Academias, Wittebergensem cumprimis, Lipsiensem & Argentoratensem, in quibus cùm subsisteret, Theologorum celebratissimorum convictu usus fuit, & ex eorum conversatione prudentiæ thesaurum instruere voluit: in Lipsiensi enim Viri admodum Reverendi & Celeberrimi DN. D. HÜLSEMANNI, in Argentoratensi verò admodum Reverendi & Præcellentissimi DN. D. DANNHAVVERI, Theologorum hoc seculo eminentissimorum mensâ & contuberniô usus est. Anno quadragesimo nono ex Academiis exteris redux, domi aliquantisper substitit, donec anno proximè sequen-

ſequenti quinquageſimo ab Illuſtriſſimo Principe & Domino, DN. ADOLPHO FRIDERICO, Duce Megapolitano, &c. Domino noſtro Indulgentiſſimo, ad vacantem Logices Profeſſionem in hanc Univerſitatem vocaretur; quam Profeſſionis ſpartam die XV. Auguſti aſſumtam ornare cœpit, & utinam eandem per annos complures ornare, Deo decernente, valuiſſet! Connubium contraxit anno 1651. die 9. Julii, ſóciamque vitæ ſibi elegit virginem pudiciſſimam, virtutumque ornatu egregiam, ANNAM Lemcken / Viri ſpectatiſſimi & integritate conſpicui, DN. HERMANNI Lemcken / Civis primarii, filiam, nunc quidem viduam inopinato Mariti deſideratiſſimi diſceſſu maximè afflictam, ex qua filiolum ſuſcepit, ſuperſtitem adhuc unicum, SAMVELEM CHRISTIANVM, parente chariſſimo præproperè orbatum. In officio publico ità ſeſe geſſit, ut nihil eorum intermitteret, quæ ad Academiæ decus & ſtudioſæ juventutis emolumenta pertinerent: Pietatis quoque, quæ reliquarum baſis eſt virtutum, candidus cultor fuit & conſtans, quippe quâ nihil prius antiquiusque ducendum ſtatueret. Hactenus verò viventis res expo-

posuimus, nunc ad extrema veniendum. Die hujus mensis 17. malè habere cœpit, cum febri corriperetur continuâ, eâque admodum vehementi, cui vincendæ pares non erant vires, quas tamen non mediocres antea habuerat. Equidem Medicorum Excellentissimorum cura nihil intermisit, quod ad recuperandam faceret valetudinem, omnis nihilominus opera frustranea fuit, malum potius indies magis magisq; crevit & sæviit. Ipse, cùm imminere ultimum vitæ terminum persentisceret, nihil æque in votis habuit, quàm ut Servatori, interveniente S. S. Eucharistiâ, uniretur quantocyus, & sacrum istud Epulum cùm ab admodum Reverendo & Excellentissimo DN. D. CASPARO MAVRITIO, S. S. Theol. Professore & Ecclesiaste laudatissimo, Dn. Collega & Affine nostro conjunctissimo, præviâ confessione assumpsisset, ad placidam se animo lubentissimo composuit emigrationem, quam proximo XXIII. Martis die hora 8. vespertinâ inter amplexus & suspiria astantium, uxoris & Cognatorum placidè & tranquillè obtinuit; postquam trigesimum ætatis annum vivendo nondum confecisset. Virtus equidem & erudi-

ruditio singularis provectiorem ætatem omninò meruerant, sed cœlestis Doctoris propensio in Macariten tanta fuit, ut illum ulterioribus orbis infortuniis exponi haud admiserit.

Exequiæ Viri hujus Excellentissimi & Collegæ optimi, hoc die in Æde D. Jacobo sacra, instituentur: istas verò ut frequentissimò comitatu ornetis, Cives Academici singuli peramanter rogamini, sic enim defuncti virtus postulat, insuper Dn. Parentis & Fratrum egregiorum atque reliquorum luctu correptorum mœror non mediocre solamen exinde colliget. P. P. Rostochii, die XXVIII. Martii, Anno cIɔIɔcLIII.

Programma quoque pro more eidem scripsit Decanus Collegii Philosophici, suo & Collegarum nomine, eodem die & anno.

SCRIPTA.

Decas prima Exercitationum Sacro-Philologicarum è primis X. Capp. Geneseos, Præside D. Jo. Quistorpio, Professore Theologo, &c. Rostochii 1643.

Decas secunda Exercitationum Sacro-Phi-

Philologicarum, è ſeqq. à Cap. X. usque ad X X. Cap. Geneſeos, Præſide D. Jo. Cothmanno, Profeſſore Theologo, Roſt. 1644.

De Philoſophia Veterum Diſp. I. ibid. 1650.

Oratio de vero uſu Logices in Theologia, pronunciata publicè in Auditorio magno, cùm ad illam Profesſionem in Univerſitate Roſtochienſi ſuſtinendam ſolenniter more Academico introduceretur, ad d. XV. Auguſt. anno cIɔ IɔcL. & notis illuſtrata. Roſt. 1650. 4.

Programma de elegantioribus Logices appellationibus, quô publicas Lectiones intimavit. Roſt. eod. anno in 4to. In eo ſimul VI. Diſputationes promittit, à ſe, ut loquitur, jàm adornatas, duas quidem de Enunciatione, duas de Syllogiſmo, & totidem de Demonſtratione, publicè habendas. Eæ verò an lucem publicam viderint, me latere lubens profiteor.

Diſcurſus Politicus de principiis conſtituentibus & conſervantibus Rempublicam. Roſt. 1651.

In MSc. latent Notæ in Comp. Hiſt. Eccleſiaſt. Conr. Horneji, Coll. Logicum, aliaque.

In-

In Obitum

Perquam Reverendi Amplissimi & Clarissimi

V I R I

CHRISTOPHORI SCHRADERI

Præpositi Bergensis & Eloquentiæ in Academia Julia Professoris Ordinarii celeberrimi & Scholarum per Ducatum Guelphicum Inspectoris Generalis

ANNO CIↃ IↃC LXXX. d. XXIV. Aprilis

pie beateque defuncti

ORATIO

habita de XXI. Maji

In Juleo

à

MELCHIORE SMIDIO

P. P. Ord.

Magnifice Dn. ProRector, ſpectabiles Dnn. Decani,

VIRI

Maximè Reverendi, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Clariſſimi, Profeſſores omnium Ordinum celeberrimi. Dnn. Fautores & Collegæ maximè honorandi. Pl. Reverendi Dnn. Paſtores. Et tu ætate, animis, virtute ac eruditione florentiſſime ſtudioſorum Juvenum cœtus.

SI, quam facilis eſt nobis mortalibus ad vitiorum valles, ignaviæ barathrum, ſocordiæ abyſſum deſcenſus, tam ad virtutis, eruditionis ac rerum præclarè geſtarum apicem penetrare foret in proclivi; Defunctorum optimè meritorum jacturam deplorare, eorumque poſt obitum memoriam celebrare, eſſet ſupervacaneum. Nunc autem cum non niſi una ſit ad honores & gloriam accedendi via, laboris ac ſudoris plena, animus vero noſter ab hoc alienus proclivior ſit ad voluptatem, lubidinem ac mollitiem, ideoque præſtantium virorum ſemper fuerit, ac futura ſit magna penuria, ſanè quoties Reſp. inſigni pri-

vatur viro, merito lugemus, & ob illius à nobis discessum animis tristamur. Gentilium veterum, revelatum divinum verbum ignorantium exempla monent nos, ne sine elogio & laude ejusmodi magnorum virorum obitus ac memorias, prætermittamus, non solùm, quod excellens virtus, cujus beneficia, tam publicè quam privatim nota sunt, hoc mereatur: verum etiam quod hisce æterni nominis præmiis, aliorum animi ad similes labores subeundos vel superandos accenduntur. Quò quis enim est mente generosior, veræque laudis avidior, eò magis & intentius alterius eâdem viâ ad summam gloriam grassati vitam spectat, ejus consilia, tanquam cynosuram, observat, & instituta instar prælucentis facis, sectatur. Quorsum hæc mea tendat oratio, Auditores honoratissimi, facile vobis est videre. Dies sunt non ita multi, quod illustris hæc Acad. Jul. Viri Amplissimi & *per integrum fere seculi semissem* de ea optime meriti, jacturam fecit. Fatis nimirum concessit, Vir maxime Reverendus & Amplissimus Christoph. Schraderus, Præpositus Bergensis Eloq. in hac Acad. Prof. Publ. & Scholarum in Ducatu

catu Guelphico Inſpector Generalis, Ordinis Philoſophici Senior, Juliæ noſtræ decus ſolidiſſimum. Cujus obitum jam luget non ſolum nobiliſſima *Schraderorum* & *Stifferorum* familia, ſed & merito luget hæc noſtra Academia, Senatus cum civibus ejus. Luget Ducatus Brunſv. & Lunæburgenſis, lugent Scholæ ejus curæ paternæ quondam commiſſæ, lugent cœnobia, quibus præfuit, luget noſtra, cujus juventutem ſuavi voce docuit Germania, luget denique univerſus, quem gloriâ ſuâ complevit, literatus orbis. De hujus eximii viri vita & obitù verba jam facere pietas me jubet, cogit virtus ejus illuſtris, quæ, quicquid à me laudabile dici poteſt, ſibi vindicat. Athenæ æquiſſimis quondam legibus florentes, hoc inter alia obſervârunt, ut, ſi parentum ſepulchra à filiis non eſſent rite curata & ornata, id in liberorum notabile vergeret detrimentum. B. Schraderi noſtri virtus ac præſtans eruditio jam xx. annis amplius eſt, cùm ita me cepit, ut eum virum parentis loco colendum ac venerandum mihi propoſuerim; cumque illius ſepulchrum aliter ornandi copia non eſſet, hoc inculto, minimeque Schraderia-

næ Eloquentiæ ſimili ſermone funus ejus proſequi volui, debui. Utinam ea mihi eſſet eloquendi facultas quam illius eximia merita flagitant. Sed veniam ſaltem, ſi non gratiam, Auditores honoratiſſimi, ſpero à Vobis, ſi pietate erga defunctum, peccavero. Equidem operam dabo, ut in manipulo porrigam, quæ plenis horreis diſpenſanda eſſent, & ſignis potius, quam verborum ampullis, quæ ingenuus animus meditatus eſt, indicabo. Quod dum facio, me benevolè ut audire velitis, ſummopere & quam officioſiſſimè Vos rogo atque obteſtor.

Ab incunabulis itaque mihi ordiendum puto, & quamvis absque ambage atque alienæ laudis mixtura ad illum de quo ſermo eſt faciendus, ſit properandum, nullo tamen brevitatis ſtudio adduci poſſum ut parentum Schraderi noſtri mentionem hic non faciam. Patrem habuit Johannem Schraderum Gottingenſem, virum non minus doctum quam pium, qui Græcæ pariter ac Latinæ Linguæ non vulgarem habuit peritiam, quarum Linguarum amorem & exiſtimationem veluti per generationem noſtro Schradero videtur tradidiſſe.

In-

Integritatis ac probitatis ejus argumentum non exiguum eſt, quod, cum meliorem Spartam occupandi aliquoties occaſio oblata eſſet, maluit tamen Eccleſiam ſibi commiſſam *Rethmarienſem* nimirum in Ducatu Lunæburgenſi, verbo Divino & pietatis exemplo annis quinquaginta duobus regere ac tueri, quàm ſui emolumenti gratia alio migrare. Hoc patre & *Helena* Rolichia natus eſt noſter Chriſtophorus Schraderus paulo ante primam meridianam d. 28. Octobr. qui Michaëlis Archangeli dicitur, Anni milleſimi ſexcenteſimi primi eo in loco, quem ipſe ſua eruditionis gloria illuſtravit. Patriam namque ſuam non claram accepit, ſed fecit. Ut quæ futura ſit tempeſtas vultus auroræ ipſo diluculo indicare ſolet, ſic voluit natura ut ex ipſo hujus puelli adſpectu ejus indoles eluceret, & ſciti corporis decorem à longe pulchriore anima ſuperatum iri, monſtravit. Non irato genio fatove ſiniſtro natus erat, vultus ejus maſcula venuſtas, & frons lata apertaque candoris veritatisque præſagia erant, oculi clari ac majuſculi olim cautionis ac prudentiæ aliquod ſacrarium hic fore proteſtabantur. Forma licet fœminas

potius quam Viros deceat, ingenuus tamen vultus, quo magis omnibus patet ac in promptu eſt, cum interiora naturæ dona tegantur, eò utilior & certiòr eſt commendatio. Eluxit paulo poſt ſingularis ejus indoles & ingenii vigor. Parens itaque pago illo Scholam filiis ſuis erudiendis idoneam non habente, nono ſtatim ætatis anno una cum fratre natu majore miſit noſtrum in Scholam Cellenſem, cujus diſcipulus fuit per ſeptennium, eosque fecit Græcæ & Latinæ Linguæ addiſcendæ profectus, quos cum inde diſcederet, ſine commendatione & elogio Scholæ illius Rector M. Jacobus Eberhardus, dimittere non potuit. Relicta itaque hac Schola anno hujus ſeculi XIIX. Hannoveranam una cum fratre adiit, in qua triennii ſpacio, auſcultando, ſtylumque exercendo id eſt asſequutus, ut ad Philoſophica capienda ſeſe maturum eſſe omnibus probaverit.

Annos itaque natus XX. in hanc illuſtrem Acad. Juliam tanquam bonarum artium & liberalium ſcientiarum frequentem mercatum venit, Muſeum in ædibus Berkelmannianis, mox verò Calixtinis nactus. Quamvis autem modici cenſus parentem

ſuum

suum esse sciret, ut ejus sumptibus non ex voto illum quem proposuerat scopum attingere posset, Deo tamen confisus, noluit quicquam quod ad solidam eruditionem comparandam faceret, omittere. Etsi Linguarum optimarum notitiam aliquam attulisset, non tamen existimavit sese temporis jacturam facere si veterum evolvendis optimis scriptis ingenium pasceret. Præeunte igitur *Rudolpho Diepholdo*, Græcorum præstantissima scripta antiqua legit sedulò, & ex iisdem ea quæ aliquando vel in Schola vel in Ecclesia dicturo utilia esse possent, in locos suos veluti ἀποθήκας diligenter reposuit, formicæ instar & apis futuri temporis memor. Ut enim hîc liberalius aut parcius sementem fecisset, ita aliquando messem futuram non vanè augurabatur.

Eloquentiæ autem studiis sese commisit auspiciis *Christophori Heidmanni*, qui cum uberrimo Ciceronianæ facundiæ flumine acutam Senecæ brevitatem commodè conjungendi viam præivit, & jam ex hujus, jam vero illius scriptis optimas particulas decerpsit, quibus dextrè expositis, alia domi eodem modo legendi exempla dedit.

Ab hoc Oratore præstantissimo didicit noster Eloquentiam non solis verborum floribus absolvi, sed ex variarum rerum notitiâ imbuto animo orationem efficacem aut scriptum ætatem ferens efflorescere. Hujus eximii in dicendo Magistri vestigia sibi premenda existimans *Nicolao Granio* Suedo, sive Naturæ arcana aperiret, sive Optica traderet, sive Mathesin grata brevitate doceret, sedulo auscultavit. Qui Periclem fulminare, tonare, cœlum cum terra miscere dicendo potuisse asserunt, ex Democriti Schola naturalium rerum peritiam in concionem attulisse dicunt.

Rationis disciplinam, qua mens in rerum cognitione dirigitur, Conrado Horneio tradente, accurate didicit, eodemque maximo censore & Doctore morum usus est ad ea Philosophiæ præcepta imbibenda, quibus vita nostra regitur ac gubernatur. Non vero erat ignavâ opera, Philosopha sententia, sed ut vitâ exprimeret quæ animo complexus erat vitæ prudenter instituendæ præcepta, operam dabat. Non substitit hic vivida ingenii Schraderi acies, sed ad summam illam cœlestes thesauros nobis recludentem Sapientiam, reliquis scien-

ſcientiis facilè ſuperiorem, Theologiam dico, animum appulit. O inſignem felicitatem qua Dei providentia Te mactavit Schradere! quem non excitabat eo tempore ſummi illius viri G. Calixti fama & gloria? Cujus oculis veternum non excutiebat incredibilis ejus labor ac diligentia? Quis erat vitæ tam profligatæ, quem hujus viri, ut & B. Horneii candidi mores, & ſanctisſima vita non redire feciſſent ad frugem? Illius ab ore pependiſti integrum quadriennium, ſacræ ſcripturæ arcana reſerantem, intricata & obſcura explicantem audiviſti, Prophetias Eſaiæ, Jeremiæ & Ezechielis clare exponentem percepiſti! Nec temere ab ejus, ſive privatis ſive publicis Scholis emanſiſti. O auſpicatum tuorum ſtudiorum primordium! In hiſce viris reperiſti (quod Tullius filium ſuum in celebri Athenarum urbe nanciſci optabat,) *probæ vitæ egregia exempla*, & divinarum atque humanarum rerum *ſcientiam* eximiam.

Sicut cætera liberalium artium ſtudia pleraque hiſce duobus vertuntur cardinibus, breviore nimirum & ſimplici quadam fundamentorum traditione, qua tanquam in ſynopſin veniunt quæ fuſius alibi tradita;

& deinde accurata, operosa, longioreque pertractatione. Ita studium Theologiæ utroque modo adgressus Schraderus, amplissimum totius sacri codicis campum Henrico Julio Strubio & Johanne à Fuchten prælucente, iniit; Epitomen verò Christianæ doctrinæ summa capita ordine complexam, Calixtinam, diligentissimo studio comprehendit. Singulis enim Mercurii diebus ab hora matutina septima ad XI. portio quædam illius Compendii Disputatorio, ut loquimur, examini subjiciebatur, cujus moderator & arbiter erat ipse libelli illius autor, quem ita totum dispartiti erant, ut semestri spatio commode ad finem perduceretur. Hoc factum est à Schradero modo defendentis, modo oppugnantis partes habente per integrum fere quadriennium. O compendiosam & saluberrimam, si quid ego judico, feliciter discendi viam! Quid mirum si hanc industriam cum vitæ innocentia & morum suavitate conjunctam, præceptorum, omniumque bonorum favor, & studiosorum civium applausus excepit? Labor ac virtus viam sibi facit socordiæ & ignaviæ incognitam & inaccessam. Matthias Overbequius, ineuntis hujus

hujus seculi verè Mœcenas Magnificus, in studiosorum usum quotannis non exiguam pecuniæ summam distribui tabulis Testamenti sui jusserat, quam voluntatem heredes exequuti B. Cornelio Martini & G. Calixto curam dederant dispiciendi ut non nisi in dignos hoc collocaretur beneficium. Hujus itaque commendatione factum ut Schraderus illa liberalitate, in hac ipsa dum adhuc viveret Academia gaudere cœperit. Commodè autem accidit, ut bello gravissimo has regiones infestante, tum etiam sævâ pestilentia ingruente à Matthia Overbequio Matthiæ Filio patrono suo in Hollandiam tanquam asylum tutissimum avocaretur.

Jam itaque, Auditores honoratissimi, vela nobis sunt facienda, ut per Oceanum in Belgium abeuntem Schraderum comitemur. Instructus ille à B. Calixto commendatitiis ad Patronum scriptis, Hamburgum petit, ibique salutatis Petro ac Justo Overbequiis Matthiæ fratribus natu majoribus, à quibus humanissime exceptus est, navem conscendit ventoque secundo Amstelodamum appulit, Ibi tum Vir Generosus & Nobilissimus Joachimus à Wickefoort,

qui

qui Academiæ Juliæ paulo ante civis fuerat, Schraderumque noverat, obviis, quod ajunt, ulnis, tantaque animi lætitia excepit, ut non solum dextras copularint & amicitiam per totum postea vitæ spacium sanctè cultam firmaverint, sed etiam ille hunc omni ope Lugdunum ad Overbequium perveniendi instruxerit.

Fausto itaque omine venit Athenas Batavas disciplinarum & bonæ mentis arcem nobilissimam. Cumque suarum ingenii virium ipse censor acris, minimeque sibi Suffenus esset, Overbequium timidè accessit, veritus ut magno suo fautori & Patrono mediocritate eruditionis suæ satisfaceret. Verùm longe aliter rem evenire statim intellexit, quippe Overbequius cognitis ejus moribus sanè quàm commodis, vitæque totius instituto accurato, & eruditione, qualis in juvenem cadere possit, plane eximia, adeo eum amplexus est, ut priori suæ liberalitati novum addiderit cumulum. Namque talis ipsi quotannis erogabatur pecuniæ summa, ex qua, quæcunque ad honeste ibi vivendum studiorumque telam pertexendam necessaria erant, ipsi suppetebant. Hoc itaque in Illustri Athenæo,

Aca-

Academiarum omnium ocello, Noster procul ab omni voluptate corporis ac deliciis illis ad quas & locus & ætas poterat invitare, unicè delectabatur continuatione eorum studiorum, quorum jam in Acad. Julia primordia ceperat. Nactus ibi præceptores & Doctores *Dan. Heinsium. Joh. Gerhardum Vossium*, Gilbertum Jachæum, Constantinum l'Empereur, Andream Rivetum, Wilebrordum Snellium, Franconem Burgersdicium, Jacobum Golium, proh! quantos in eruditione, quamque celebres viros! quos vel vidisse tantum, nedum audivisse, pulchrum atq; gloriosum erat. Atqui horum doctissima informatione & institutione qua publica, qua privata usus est noster per integrum sexennium. Nec satis habuit haurire ex illis doctrinæ thesaurum; cœpit alios partim exemplo suo excitare, editis speciminibus Academicis, partim docere, in cœtu nimirum Lutherano verbum Dei ad August. Confessionis normam proponendo. Inter literarum studia quæ ipsi in medullis veluti hærebant, excoluit enixius Ebraicas & illius gentis antiquitates. Tinxerat ipsum harum literarum aliqua peritia in hac JULIA Christoph. Hunoldus; verum

in Lugduno-Batava & informatione Constantini l'Empereur & Guilielmi Coddæi penitus illis eſt imbutus. Acceſſit Judæorum quorundam familiaris uſus, ex quibus David de Haro, Luſitanus, Medicinæ peritus quem in Rabbinicorum librorum lectione præceptorem, in Logicis Scholis diſcipulum habebat, ut mutuas ſibi docendi ac diſcendi darent operas. Quamvis non deeſſent, qui utiliora urgeret ſtudia, monebant; accendit tamen eum ad Ebraicam eruditionem penitus capiendam B. Calixtus; qui, qua ratione aliquando ejus Linguæ docendæ provinciam in hac Academ. obtinere poſſet, per literas ſubinde monſtrabat. Ut igitur eo felicius proficeret ab Hebræis pariter ac Chriſtianis erudiri expetivit. Uſus propterea eſt Leidæ familiariter R. Joſepho del Medico Cretenſi, qui Medicinæ inſignibus erat cohoneſtatus. Amſtelodami ſalutavit Rabbinorum noſtri ſeculi longe doctiſsimum Menaſſen Ben Iſrael, editis ſcriptis clariſſimum. Anno 1627. per trimeſtre ſpatium Hamburgi degens cum Rabbi David Haccohen de Lara Synagogæ ibidem Antiſtite, qui ſcriptis plane eximiis æternam nominis ſui famam condidit, familiaris uſus interceſſit. Hoc modo velis remis-

que,

que, quod ajunt, id facile pertinaci labore assequutus est, ut & Rabbinorum scripta intelligere & Sacrorum voluminum libros omnes quovis tempore interpretari sciret. Quamvis autem sors eum ad aliud munus postea detulerit, non tamen destitit has suas delicias occasione data revisere, atque ea, quæ juvenis didicerat, alios docere. Annus jam agitur XXI. cum, Ebraicis in hac Academia Julia nullo publico doctore aliquamdiu traditis, Schraderus noster rogatus à quibusdam ut privatas Scholas illius Linguæ aperiret, qui, ut erat facilis, annuit petitis. Ecce autem tantus factus est auditorum concursus, quasi Palladium aliquod cælitus decidisset. Et quia domesticum ἀκροατήριον non capiebat numerum Ebraissantium, Juleo hoc, novo & majore auditorio uti cogebatur, cujus subsellia pleraque omnia occupabantur, meque etiam in illo numero fuisse non sine voluptate recordor. Sed redeundum nobis est in Belgium, unde digressi, ubi jam tum famâ notus erat noster ob peritiam Ebraicæ Linguæ, unde occasio orta ipsi primum in notitiam, postea etiam in familiam Dn. Ducis Wurtenbergici Roderici, Celsissimi Dn.

Julii

Julii Friderici Filii perveniendi. Ut animalium omnium infirmisſimum eſt homo, & laborioſa ejus educatio; ſic inter homines Principum educatio eſt longe difficillima, nec cuivis temere committenda. Salus populi à Principis vita, Principis ſalus ab educatione dependet. Prudentisſimè huic Juventutis Celſisſimo Principi proſpectum erat, duobus Ephoris præſtantisſimis datis, qui curam educationis & informationis haberent, quorum alter Vir Nobilisſimus Melchior Schyk Sileſius, qui, præter Mathematicas ſcientias, Juris peritiam indeptus, variarum Linguarum erat callentisſimus, Schraderi noſtri operam in addiſcenda Ebraica expetivit, quam & ipſi lubens addixit & præſtitit ea dexteritate, ut ab Ephoro recte informato & docto, Schraderus ad ipſum Principem informandum duceretur. Hic Rodericus laudatiſſimus Princeps, ita voluntate Celſiſſimi Dn. Parentis ductus erat, ut præter vernaculam, Hiſpanicam tantum calleret Linguam. Exiſtimavit autem Generoſus Dn. Johannes Rauch, Nobilis Tyrolenſis, primarius ejus Ephorus, recte atque ordine fieri inſtitutionem ſi Latinæ Linguæ tanquam reliqua-

rum

rum matris & veriſſimi fontis, notitia præmitteretur illis hodie uſitatis, Hiſp. Italicæ, Gallicæ addiſcendis. Ejus igitur tradendæ cauſſa adhibebatur Schraderus, qui quotidie horam inſtituendo principi dabat, quæ in re ita ſeſe probavit illis omnibus, ut mox in Principis comitum numerum adſciſceretur, & curam ſimul haberet ejus in religionis Chriſtianæ capitibus, fundamentis illius doctrinæ, ex qua ſalus æterna naſcitur, rectè informandi.

Jam tempus eſſe putavit liberalitati Overbequianæ gratias agere: Quamvis ita illum virum ſibi deditum haberet, ut manifeſto appareret ſingularis ejus benevolentia vel ex eo quod cum reliqui, non niſi per ſexennium eo beneficio fruerentur, ipſe per integros novem annos eo erat gaviſus, nec deſperaret fores liberalitatis porro ſibi patere poſſe; noluit tamen ejus inſigni benevolentiæ moleſtus eſſe, aut aliis impendendas pecunias ullo modo præcipere. Reſignato itaque illo beneficio patronum ſuum Overbequium, grati animi promiſſione, quem etiam quamdiu vixit, præſtitit, colens diſceſſit.

Cum annum vertentem in Academia

Lugduno Batava cum Principe suo egisset, informator ejus domesticus, Hagam Comitum, quam Belgii fœderati πανιώνιον eleganter ipse vocare solitus, commigrarunt, ubi, quæ ad varia publica negotia pertinebant caute sciscitatus ex iis, cum quibus vivendi copiam erat nactus. Deinde per reliquum Belgium iter faciens cum principe, optimas illius regionis urbes & munimenta non sine voluptate perlustravit. Tandem anno CIↃ IↃC XXXII. ut secundum Deum, patriæ imprimis serviret, in charissimam suam Juliam reversus est. Ibi verò B. G. Calixti ædibus ac convictu usus ita se gessit, ut aliquot nobilium Juvenum informatio & directio illi committeretur; quos quidem non solum ad veram eruditionem hauriendam fidelissimè manuduxit, sed etiam moribus & vitæ institutis ita formavit, ut illi suum emolumentum, hic vero gloriam inde reportaverit. Et jam ea quæ diuturno studio, nec levi labore in omni eruditionis genere erat assequutus, cum aliis communicare animus gestiebat. Cumque gratia valeret apud Ordinem tam Philosophicum quam Theologicum, facile obtinuit facultatem privatis scholis apertis ea docen-

docendi, quæ & hic, & alibi ab optimis Præceptoribus acceperat, & quæ propria meditatio suggesserat. Erat autem in Schradero nostro Suada quædam singularis, quæ ejus labris insidens orationem omnem sic ornabat, ut memoriam auditorum utilissimis impleret rebus, & incredibili quadam voluptate simul eorum animos perfunderet. Docentem itaq; summus Juvenum studiosorum concursus & omnium applausus est subsequutus.

Vacabat eo tempore commodum Eloquentiæ & humaniorum literarum Professio, cui capessendæ cum idoneus visus esset omnibus, à Senatu Academico Serenissimo Duci Brunsvic. & Lunæburg. Dn. AUGUSTO eo nomine Anno 1635. ut merebatur, fuit commendatus. Quod quidem eo eventu factum, ut statim sub finem illius anni Serenissimi voluntate illa Sparta ei sit data, quam & solenni, pro more, oratione habita, initio Novembris auspicatus est. Quanta autem industria, quantoque studio mandato munere functus, sit fidem forsan superaret sit recensere vellem. Testes appello quotquot eorum sunt in vivis, qui eum circa hæc tempora, audiverunt, cum genua ejus virerent, ingenium flore-

ret, memoria voto responderet, humanitas autem & Charites omnium spem superarent. Incredibilem certe expectationem, studium singulare, favorem omnium, tum propter egregios illos præceptores, ex quorum Schola prodierat, tum suo merito & ingenio, quoties prodibat docturus, in cathedram secum afferebat. Schraderum audientes, Ciceronem ipsum aut si quis eo melior gratiorque unquam dicendo fuit, sese orantem audire credebat Juventus. Sequente anno, non alia de caussa quàm quod ita conveniens esset suo muneri, quod gerebat, d. IV. Febr. præmisso, de more, examine, bonarum artium Magister & Philosophiæ Doctor in hoc illustri Juleo publicè à M. Henr. Jul. Scheurleo Moralium P. P. renunciatus est. Indefesso hinc studio in id annixus est ut Juventus Academica ad eam quæ omnes decet, qui eruditionis nomine censeri volunt, eloquentiam, ordine duceretur. Ideoque jam exponendo ipsa dicendi præcepta, non certe ex recentiorum lacunis & male sartis centonibus, sed ex ipsius Aristotelis, summi illius sapiendi & dicendi magistri auro contra non æstimandis monumentis. Jam dicendi tyrones

nes suos ducebat in florentissima veterum Eloquentissimorum Oratorum exempla, & artificium, vel in Ciceronis orationibus, vel in Historicorum utilissimis scriptis, exerto quasi digito monstrabat. Hisce traditis, ne tantum præceptis nudis memoriam onustam haberent, nec aliorum orationes & artificiose contextos sermones sterili intuitu considerarent, manum operi ipsos admovere jussit, ut inventione ex Aristotelicis præceptis abunde hausta, Eloquutionis formam ab optimis scriptoribus ad imitandum propositis desumerent, & sic veterum æmulatione, ad laudabilem dicendi scribendique facultatem pervenirent. Hunc ille laborem semper in circulum revertentem subinde iterumque repetebat, cum non laboris species, sed tantum auditorium mutaretur, atque ita hoc Sysiphi saxum perpetuo volvebat. Magna hæc industriæ, fateor, sunt argumenta, sed audietis, honoratissimi Auditores longe majora. Quia styli exercitium omnis eloquentiæ præludium ac progymnasma est, exercitatio autem illa sine labore, quem plerumque omnes fugimus, fieri nequit; hinc accidit interdum doctissimis & fidelissimis præce-

ptoribus, ut non tam sua culpa, quam discipulorum inertia aut ignorantiâ soli relinquantur in suis Scholis; Imprimis cum hodie multis sit persuasum, non summopere necessariam esse eam dicendi facultatem, quæ priscis temporibus, & quidem Romæ, fuit quæsita. Hinc alii difficultatem illius rei superare desperantes, alii cum contemtu illarum festinant ad ea, quæ ipsis utiliora & propius ab usu quotidiano remota videntur. Verum hæc omnia Schradero nostro parum vel nihil obstaculi præbebant. Is enim hoc tanquam palmarium multarum artium tradendarum artificium, & forsan multis incognitum tenebat, & felicissimè exercebat. Nimirum in omni sua doctrina id operam dabat, ut non solum, quæ tradebantur, avidè ab auditoribus arriperentur, sed ut semper plura addiscendi voluntas constans ac perpetua in illis aleretur & conservaretur. Noverat beatus Senex ingenium humanum, imprimis adolescentum & juvenum, non semper posse intentum esse serioque agere, sed instar arcus remittendum si scopum ferire velis, & hac in re infantibus simile esse, cum quibus nisi ludas, nihil agis: ideoque ut ingenia retine-

tineret attenta tantundem operæ, si non amplius, ad delectandum quam ad docendum impendit. Hoc igitur efficiebat; ut ludibundi discerent ea, quæ alias nunquam didicissent. Refert Laertius, Diogenem cum de virtutibus ac vitiis eleganter disseruisset, non reperisse auditores, sed cum concinna ac lepida voce cantillare cœpisset, magno numero discipulos confluxisse. Schraderus nec cantillabat, neque quod non ita pridem factum alibi meminisse possumus, aliquid nunquam visum, mirabile, sese monstraturum promittebat, & dein, ostenso *novo cultro*, auditorium in risum convertebat: sed longe meliore ratione ac modo nostris moribus ac temporibus magis convenienti, demulcere aures & animos quorsum volebat, flectere noverat. Argutis nimirum modicè instar salis dapibus aspersi, jocis & risu, hoc obtinuit;

Nam temperatæ suaves sunt argutiæ
Immodicæ offendunt.

Latinitatis puræ, antiquæ, ac Romanæ, licet religiosissimus esset, & in emendandis iis, quæ à dicendi studiosis civibus corrigenda exhibebantur, oculatissimus; Aliorum tamen scriptorum non erat tam rigidus cen-

ſor, aut moroſus ſugillator, ſed ipſe potius ſuo exemplo recte ſcribere ac loqui docebat, quam ut gauderet alienorum laborum cenſuram agere. Hoc enim ab Humanitatem profeſſo quam alieniſſimum eſſe putabat, & illud vitii, quod hodie hujus generis hominibus nonnullis qui ſcholas regunt vel regere affectant, familiariſſimum eſt, abominabatur. Nempe ſub antiquitatum ſingularis ſcientiæ prætextu *tumidi, indeque triſti ſupercilio ſeveri, vultu tetrico auſteri, ut ſuis terrori aliis odio ſint, quorum imperitiâ nihil imprudentius, ignorantiâ nihil arrogantius; qui cum ipſi deſipiunt alios decipiunt, ut hinc tam diſcentium quam docentium miſerrima fiat conditio.*

A tali charactere noſter erat quam longiſſime remotus, omnes humanitate alliciebat, affabilitate & modeſtia vincebat, utili colloquio ac prudenti ſermone ſuperabat. Hæc cum nemini non eſſent nota, Sereniſſimorum Ducum ac Principum noſtrorum ſapientiſſimo conſilio factum eſt, ut hujus Ducatûs Scholarum ei committeretur inſpectio & demandaretur viſitatio. Ut ipſi ſcholarum illarum præceptores haſce ſingulares virtutes omni bono adoleſcentum infor-

informatori perquam neceſſarias, in ipſo Schradero, tanquam vivo exemplo, viderent ac cognoſcerent, cognitas amare inciperent, amatas ſectarentur & adipiſcerentur. O felices illas Scholas, quorum præceptoribus talia vitia non ſunt familiaria! Qui non minus pietatem, religionem, quam morum elegantiam & prudentis vitæ inſtituta tradere norunt!

Verum hæc Rhetoricen & artem dicendi & docendi ſpectant, videamus quid ipſe dicendo præſtare ac efficere potuerit. Atqui vero demonſtravit Orator noſter ſæpiſſimè artem illam dicendi minimè vano auſu tradi ac doceri, neque Oratoriam facultatem in naturali quadam loquacitate, ſed in gravitate rerum æquali verborum pondere ac efficacia prolatarum conſiſtere.

Teſtem appello hoc illuſtre Juleum, quoties Schraderus illud voce ſuaviſſima ita replevit, ut omnium auditorum ſi non manifeſtus, tacitus tamen & cum admiratione ſequutus ſit applauſus! Teſtes illius eloquentiæ propemodum divinæ vos ipſa hæc ſedilia & ſcamna appello quoties auſcultantium & ab ore ejus pendentium

concursu & numero fracta fuistis. Testor vos omnes, qui non ita pridem in solennissima Jubilei nostri festivitate huc confluxistis, vicinos, hospites, amicos aut inimicos, an non Nestoris illius nostri prudentissimo sermone summopere sitis delectati, animis commoti, affectibus abrepti?

Sed ne vestra abutar benevolentia, Auditores honoratissimi, hæc mitto, ut, quæ domi egerit noster quantum potest, videamus. Bono omine duxerat anno XXXVII. Virginem Margaretham Stifferiam, viri maxime Reverendi & Nobil. Dn. Ernesti Stifferi SS. Theol. L. in hac Acad. Profess. Publ. Ecclesiarum S. Nicolai B. Virginis & S. Gangolphi in civitate Magdeburgensi Canonici, filiam ex priori matrimonio unicam, hodie viduam mœstissimam, quæ exoptatissimum ei fecit matrimonium multaque prole fæcundum, in qua educanda, cum esset potiorem partem mascula, non minorem industriam & diligentiam, quam prudentiam, ac veluti educationis artem, demonstravit. Filios nimirum cum haberet novem, non omnes parili genio aut ingenio natos, omnes ita instituit, ut admiratio-

rationem non parvam cordatioribus attulerit. Quippe ad unum omnes utilissimi Ecclesiæ & Reip. evaserunt viri, absque omni degenerandi vel minima suspicione. Est aliquid illa sors nascendi, ut Academiæ hospitium habeas patriam. Constat enim Academiam esse honestæ vitæ palæstram, sed magis prudenti artificiosæque educationi paternæ hanc suam felicitatem sese debere & fatentur ipsi filii, & res ipsa accuratius perpensa clamitat. Namque hic apparuit non in lingua tantum ejus natasse præcepta sapientiæ, sed in ipsum opus atque effectum deducere illum potuisse, quæ aliis suaserat & quorum auctor extiterat. Cum enim hanc ad rem singulari genio natus & veluti dote quadam naturali à Deo præditus videretur, excitati passim sunt plurimi viri nobilissimi, qui & filios suos apud ipsum educari peterent, aut, si id obtinere non possent, educandi consilium ab eo flagitarent. Non solum igitur seorsum domi educandæ prolis sæpe instituta sua cum aliis communicavit, verum etiam scholarum recte & utiliter aperiendarum rationem prudentissimam quoties desideraretur præscripsit.

Non

Non sine bono publico factum, quod Generosus & Nobilissimus Dn. Josias à Veltheim Ephoriam alumnorum Velthemianorum ipsi commisit. Hic enim dexterrimus ingeniorum arbiter, ne indignis illa beneficia conferrentur prudenter cavit, & ne otiosi fuci pecuniam perderent, ἐργοδιώκτης fuit vigilantissimus.

Singulares autem gratias agit Tibi ô beate senex, Bibliotheca Academiæ nostræ, cujus curam XL. annis fideliter habuisti, bono ordine, indemnes omnes libros quos olim habebat Bibliotheca conservasti, & accessione aliquot centum thalerorum pretio æstimanda auctiorem reliquisti: Et quidem ne frivolæ chartæ nullius pretii vel exiguæ frugis libri congererentur, sed ea quæ communi usui servirent, prudenter curasti. Illa de cura, de tot molestiis & laboribus in publicum bonum, bene tibi sit in æternum, Tua *molliter ossa quiescant!*

Quemadmodum autem Spartam suam viva voce tot annis exornavit, ita de posteritate etiam fuit sollicitus. Vox enim ad paucos emanat, libri vero & diutius & pluribus utilitatem præstare possunt. Quanquam vero sedulo & singulari methodo ipse

ex

ex aliorum operibus excerperet optima quæque, & alios eandem methodum doceret, unde facillime dein poterat, ex eis quæ collegerat depromere & in usum publicum divulgare; minimè tamen præcox aut præceps in hisce fuit, sed Horatiani præcepti memor premebat opera sua si non diutius, saltem nonum usque in annum, nisi forte Orationis publice habitæ aliud postularet conditio. Æternitati sese scribere cogitabat, nec ex numero eorum erat, qui singulis semestribus non solum manus legentium sed & librarias tabernas suis deproperatis, parum duraturis libellis implent. Judicabat idem quod Domitius Piso, teste Plinio, *libros thesauros esse debere.* Et talem revera esse equidem sine adulatione arbitror Commentarium in Rhetoricam Aristotelis, quem si quis non librum sed verum prudentiæ & eloquentiæ thesaurum dixerit nihil à vero alienum dixerit. Diuturno enim usu observata hic reperiuntur, quæ juveni senilem aliquam inspirant prudentiam, ut (quod familiare solebat esse dictum beatissimo Seni) ex lectione hujus libri possit *laudabilis fieri adolescens in quo aliquid, & multum quidem esset senile,*

le. Probat hic Commentarius abunde, quibus cogitatis fuerit deditus; Solent alias vel antiquos Codices emendare, vel origines vocum curiosius rimari, qui hujusmodi studia ab humanitate appellata accuratius tractant. Noster autem etsi talia studia non parvi fecerit, nec ullius laborem laudabilem spreverit; maluit tamen in ea studium ac laborem suum conferre, quæ longe, saltem hodie, sunt utiliora. Nec alterius sunt commatis reliqua ejus scripta universa, quæ jam recensere, tanquam vobis notissima, super sedeo. Quo autem sunt pauciora, eo plus habent momenti & ponderis ad veram eruditionem. Utinam autem ea quæ affecta servantur plurima, in posterum lucem adspiciant publicam, *de Excerpendi Methodo*, *de Ordinatione scholarum* & alia egregia beati viri meletemata, quæ quidem ut publico bono non invideantur, equidem heredes obnixe rogo.

Sinceræ pietatis infucatæque religionis fuit exemplum, aliique ut fierent omni ope ac studio laboravit. Sancta ipsi Scriptura optimum erat enchiridium ex qua, quæcunque in calamitatibus, adversis & tentationibus depromi possent instar armorum, qui-

quibus Diabolo resistitur, dicta efficacissima descripsit, ut instar pugionis ad manum semper haberet.

Corpore à Deo donatus erat firmo solidoque (licet non nimis procero) sanitate constanti, nisi quod non ita pridem ferme quotannis febricula tentaretur. Sesquiannus est cum apoplecticis affectibus labefectari cœpit, ex quibus indies magis magisque deficientibus viribus, imbecillior factus, tandemque XXIV. Aprilis vespertina hora VII. dilectissimo creatori suo inter preces & suspiria tam adstantium quam propria Deo creatori, Servatori & Sanctificatori suo animam reddidit. Vixit beatus Vir ut probum, pium, Christianum decet, charitate erga omnes insignis, humanitate doctrina & virtute summis pariter atque imis gratus acceptusque. Serenissimis Principibus nostris omnibus, præ reliquis Sereniss. Dn. AUGUSTO gloriosiss. memoriæ, qui inter alia clementiæ signa, Cænobii Bergensis Antistitem eum esse jubens, non exigua dignitate & honore eum mactavit, Dn. RUDOLPHO AUGUSTO ejusque fratri Dn. ANTONIO ULRICO, Ducibus Brunsv. & Lunæ-

Lunæb. Dnn. nostris clementissimis adeo charus, ut non solum dum viveret, modò non omnia ipsi indulgerent sed etiam Gratiam suam & Clementiam post beatum ejus decessum erga heredes pariter ac mæstissimam viduam Illustribus Viris suo nomine qui exequias irent clementissime missis, nudius duodecimus luculenter comprobarent.

Felix igitur vitæ tuæ Schradere curriculum fuit, Felicior ex vita discessus. Beatum te, terque quaterque beatum! qui jam remotis omnibus corporis animique molestiis, ea intueris & vides, quæ, si daretur ad nos reverti, verbis exponere non posses. Nunc liberatus ab omnibus malis, nostra hæc terrena, nostras tenebras in clarissima luce positus despicis ac contemnis. Nos, sicut te viventem amavimus & coluimus, ita memoriam tui charissimam jucundissimamque merito deinceps conservabimus!

DIXI.

PRO-

PRORECTOR ACADEMIÆ
JULIÆ
ANDREAS FRÖLINGIUS
S. S. Theol. D. & Prof. Publ.
Ord. nec non Superint.
Generalis

CIVIBUS ACADEMICIS

S. D.

Perquam Reverendum & Excellentissimum Virum, Dn. CHRISTOPHORUM SCHRADERUM Præpositum Bergensem & Eloquentiæ in Academia Julia Prof. Publ. Ord. nec non Scholarum per Ducatum Guelphicum Inspectorem Generalem, haud ita pridem diem suum placide pieque obiisse, neminem Vestrum, Cives Academici, latere potest. Cujus quidem exuvias, non sine gravi luctu, solenni more, nuper terræ mandavimus; pia & candida anima, per ipsos septuaginta octo annos hospes comesque corporis, nunc eodem soluta, ac beatis Caseliorum, Heidmannorum, Corneliorum, Calixtorum, Horneiorum aliorumque similium mentibus associata, cœlesti ac divina luce fruitur, de fortuna, de mundo, de morte

ipsa triumphans. Memoriam autem quod attinet Optimi, ac de elegantioribus humanitatis & eloquentiæ studiis egregiè meriti Viri, eam Academia hæc eo minus colere desinet, quo plures erant in eodem dotes, quibus larga Dei manus præ multis aliis instruxerat: ut inter præcipua Academiæ hujus lumina merito referri debeat. Quoniam verò publicè interest, ut talium virorum exempla cum præsenti tum posteræ ætati imitanda proponantur, Clarissimus Vir, Dn. MELCHIOR SCHMIDT *Græcæ Linguæ Profess. Publ. & Ordin. Collega meus honorandus & perdilectus, piis beati* SCHRADERI *manibus justa persoluturus, vitam ejusdem virtutes ac merita, hodierno die, hora post meridiem tertia, in magno Juleo, publica oratione celebrare constituit. Ad quam proinde audiendam etiamsi Vos, Cives charissimi, pro Vestra in Præceptorem Optimum multisque modis de studiis, quæ Vos colitis, præclare meritum, pietatę, dicto tempore & loco sponte affuturos confidam, ut tamen id libentius & frequentiore numero faciatis, comiter atque amanter Vos invito. P. P. in Acad. Juliâ Helmstadii d.* XXI. *Maii Anno* CIϽ IϽC LXXX.

SCRI-

SCRIPTA.

Disputatio philosophica de Analogia & conceptu Entis, Præside P. Gilberto Jachæo Med. D. ac Philosophiæ Professore ordinario, respondente Christophoro Schradero. In Acad. Lugduno-Batava Anno 1627.

Disputatio Philosophica pro Metaphysica, Præside D. Francone Burgersdicio, Logicæ & Physicæ Professore Ordinario, respondente Christophoro Schradero. Lugduni Batavorum Anno 1630.

Disputatio Theologica de Gratuita per fidem justificatione quam sub Præsidio Georgii Calixti, S. Theol. D. & Prof. publici in Academia Julia defendit Christophorus Schrad. A. 1635.

Theses de Convenientia & discrimine Oratoriæ ac Poeseos Præside Christophoro Schradero Eloquentiæ Profess. & Præposito Bergense. Respondente Joh. Ernesto Schradero. Helmst. Anno 1661.

Disputatio de Lingua sancta, quam Præside Christophoro Schradero Eloquentiæ Profess. Ordinario, publice defendit Johannes Krohne. Helmst. Anno 1638.

Rhetorica Aristotelis Græce & Latine. Helmst. Anno 1648.

Dispositiones Epistolicæ Helmst An. 1674.
Epist. interpres nummi Judaici, Helmst. 654
Hypotheses Oratoriæ Helmst. Anno 1669.
Dispositiones Oratoriæ. Helmst. An. 1674.
Tabulæ Chronologicæ Helmst. An. 1673.
Programmata Helmst. Anno 1667.

De Rhetoricorum Aristotelis Sententia & Usu Commentarius. Helmst. Anno 1674.

Livianarum Orationum duodeviginti Analysis Rhetorica. Helmst. 1676.

Chronici Marienthalensis Meibomiani continuatio. Helmst. 1651.

Oratio in obitum Conr. Horneii. Helmst. 1649. (1656.

Oratio in obitum Georgii Calixti, Helmst.

Oratio habita cum Acad. Juliæ Magistratum iniret. Helmst. 1653. (1650.

Oratio in Visitatione Acad. Juliæ Helmst.

Oratio in Visit. Acad. Juliæ Helmst. 1668.

Oratio in obitum Georgii Ducis Brunsv. & Luneb. Helmst. 1643.

Oratio in obitum Friderici Ducis Brunsvic. & Luneb. Helmst. 1649.

Oratio in solenni Acad. Juliæ studiorum instauratione. Helmst. 1652.

Oratio secularis, cum seculum suum primum finiret Acad. Julia, & alterum feliciter auspicaretur, Helmst. 1676. PRO-

PROGRAMMA,

Quo ad

EXEQUIAS,

Quas

Viro Maxime Reverendo, Amplissimo,

Excellentissimo,

DN. JOACHIMO LINDEMANNO,

Phil. & SS. Theol. Doctori, nec non Phys. & Metaph. P. P. famigeratissimo, Facultatis Phil. dum viveret, Decano Spectatissimo, ut & ad D. Mariæ Archi-Diacono longe meritissimo,

Mœstissima Vidua parabit,

die XXIX. Dec. Anno MDCXCVIII.

Omnes omnium ordinum Cives Academicos qua decet pietate, & Studio

invitant

DECANUS, SENIOR,

&

reliqui Collegii Philosophici

PROFESSORES.

MEmoria *Justi est in benedictionem*. Optimum sapientissimi quondam Regis *Salomonis* est effatum. *Prov. X. 7.* Quorum verborum, Hebraismus si evolvatur, planus ac simplex sensus hic est: *Fama Justi est celebris & plausibilis*. Haud male exponente *Vatablo*. Et opponitur constans hæc Justorum memoria Famæ impiorum, quæ cum cadavere ipsorum perire dicitur, quando Sapientissimus *Salomo* addit: *nomen improborum marcesset*. q. d. Fieri potest, ut improbus, dum scelus occultat, justi & probi viri aliquandiu fama nominis fruatur; Sed ut flos emarcessit paulatim & ut caro putrescit, quæ sale non conditur: sic fama, quæ sine fructu virtutis aut divinæ sapientiæ sale ventilatur. Contra fama justorum floret, omnium in ore memoria ipsorum, si qua occurrit, venerabilis illa est cunctis. Vid. *Baynus*, Nec tantum floret hæc fama justis viventibus, vivit & post funera virtus, Dignumque laude virum Musa vetat mori. Hinc & *Rabbini* tam veteres quam recentiores his ipsis Sapientissimi Regis verbis, abbreviatis scilicet more suo ז״ל memoriam defunctorum suorum, imprimis *Rabbinorum*, commen-

men-

mendare solent, si forte in scriptis suis ab ipsis citentur. Sic nec à *Christianis* mos hic memoriam justorum commendandi plane improbatur, quin potius cana eaque pia antiquitas eundem sedulo observaverit. Testantur id veterum *Diptycha*, *tabulæque ecclesiasticæ*, item *catalogi Martyrum*, ex quibus deinceps *Menologia Menæa* & *Martyrologia* fuere nata. Quæ quamvis quidem ob impuriorum seculorum superstitionem in abusum quendam degeneraverint; abusus hic tamen usum quoque legitimum ac licitum tollere minime debet. Et sic etiam nos ex monito *Salomoneo*, atque exemplo *veterum* memoriam *Justorum* pariter ac *Eruditorum pie defunctorum*, absque superstitione tamen Papali, celebrem habemus, ut nimirum *natales*, *vitam*, *ac facta* ipsorum consignemus, decenti elogio ornemus, & si qua occurrat occasio, non sine laude eorundem recordemur, præsertim ultimis hisce ac vere pessimis temporibus, ad quæ proh dolor! reservati sumus, quibus Justi deficiunt, docti desiderantur. Egregie certe *Daniel Heinsius* in obitum *Philippi Crüveri*, Geographi Celeberrimi. *Nunc, cum hoc præsertim tempo-*

re magnorum tanta ſit penuria ac paucitas virorum, ut, cum ſingulis, qui moriuntur, ipſa prope eruditio ac literæ efferri videantur, cavendum nobis vel imprimis reor, ne quos ad exempla laudum atque æternitatem nominis natura genuit, ſine ullâ commendatione tanquam fugitivi elabantur. Ita eſt! Clarorum virorum facta literis mandanda ſunt, non ſolum ad gratam eorundem recolendam memoriam: ſed etiam ad ſtudium ſimilium virtutum in animis aliorum excitandum. Habet enim acres in animis excelſis ad virtutem ſtimulos eorum, qui cum laude vixerunt, per exemplum quaſi per ſpeculum vivum atque ardens propoſitum, accenſa æmulatio! Siſtitur, vobis Cives Academici exemplum hodie certe rarum, dum *Virum Maxime Reverendum, Excellentiſſimum atque Ampliſſimum* DN. JOACHIMVM LINDEMANNVM; *S. Theol. Doct. Celeberrimum Metaph. ac Phyſ. in hâc almâ Prof. Publ. Ordin. famigeratiſſimum & ad D Mar. Archidiaconum longe meritiſſimum, Collegam noſtrum eheu deſideratiſſimum* præmaturâ morte nobis ereptum non ſine lacrymis lugemus. Non ſit memoria hujus Juſti ac Eruditi ſi-

ne

ne benedictione quali qualicunque nostra. Sed utinam hic nobis *Ciceronis* suada *Demosthenis* eloquentia esset. *Plinius Junior* de *Virginio Rufo*, qui laudis suæ assertorem consecutus erat ævi sui disertissimum *Cornelium Tacitum*, dicit, *hunc supremum ejus felicitati accessisse cumulum, laudatorem eloquentissimum.* Verum enim vero quamvis hic quidem balbuties nostra eloquentiam nullam erudito orbi promittere queat circa laudes Viri, qui laudari satis nequit, quamvis etiam non ignari simus illius veteris: *Malum pictorem bonam formam imperitiâ suâ deteriorem reddere.* Pietas tamen nostra erga pie defunctum plane silere non permittit. Hinc divinum Tanti Viri ingenium rudi saltem adumbrare penicillo, vitæque præclare actæ curriculum absque verborum pomposo ornatu recensere conamur. Natus est LINDEMANNUS Noster *seculi* ille *præsentis dum viveret Phœnix* heic Rostochii Anno 1662. d. 7. April. ex Majoribus suis omni nostrâ laude majoribus. *Parentem* habuit Virum quondam Plur. Rev. ac Ampliss. DN. IOACHIM. LINDEMANNUM, primo ad ædem S. Petri per XIIX. annos Diaconum,

num, deinceps ad D. Mariæ Archidiaconum per VII. annos meritissimum, ac propter incomparabilem suadam acceptissimum. *Matrem* vero veneratus fuit Matronam omni pietatis ac virtutum splendore valde conspicuam EVAM Goldsteins / quæ adhuc dum longa annorum serie clara superstes, obitum hunc præmaturum sui Charissimi Filii mœstissima luget. *Avus paternæ lineæ* fuit VIR quondam Præ-Nobilissimus, Excellentiss. ac Ampliss. THOMAS LINDEMANNUS Hervordiâ Westphalus J. U. D. Ejusque Prof. P. in hac alma meritissimus, simulque civitatis hujus Syndicus, & Comes Pal. Cæsar, nec non Consiliarius Serenissimi Ducis Meklenb. quondam regentis DN. ADOLPHI FRIDERICI gloriosæ recordationis. *Avia ejusdem Paternæ Lineæ* fuit ELISABETHA HAHNIA ex Patricio HAHNIORUM stemmate hic oriunda, quæ deinceps, pie jam defuncto DN. D. THOMÆ LINDEMANNO, nupsit JCto & Practico Celeberrimo DN. D. ADOLPHO FRIDERICO AB HAGEN. *Avus Maternæ Lineæ* fuit VIR quondam Maxime Rev. ac Ampliss. DN.

M.

M. IOANNES Goldstein / alias Chrysolithus, Pastor hic Nicolaitanus & Ecclesiarum Rostochiensium Superintendens meritissimus. Avia *Ejusdem materna lineæ* fuit DOROTHEA Almarten. Proavum ex paternâ lineâ habuit Virum quondam spectatissimum DN. HINRICVM LINDEMANNVM Civem Hervordiensem in Westphalia inclytum. *Proaviam* vero ex eadem *linea* ANNAM KIRCHOFFS. *Proavus Materna linea* fuit VIR quondam Spectatissimus DN. IACOBVS Almart / Civis ROSTOCHIENSIS Optimus. *Proavia* ejusdem *linea* CATHARINA DVNCKERS. Ut celeberrimum quondam *Patruum* ipsius Virum Maxime Rev. Excell. Ampliss. DN. THOMAM LINDEMANNVM SS. Th. D. Ejusque Prof. Publ. heic Rostochii; & deinceps Ecclesiæ Teutonicæ apud Haffnienses meritissimum, aliaque stemmatis decora hâc vice taceamus. Hisce Celeberrimis Majoribus BEATVS Noster Collega natus Majorum quoque vestigia feliciter ut legeret, omnem navarunt operam Parentes, imprimis vero optima Mater. Hæc enim, Patre ipsi puero 7. annorum per mortem abre-

abrepto *Anno nimirum 1669. in Decembr.* informatores eidem aluit privatos, qui ipsum omni doctrinæ virtutumque genere imbuere omni studio allaborarunt. Prima tyrocinia fecit sub DN. ZACHARIA SCHRODERO, nunc Phil. Mag. & Past. Ecclesiæ Sülzensis in viciniâ meritissimo. Quæ deinceps continuavit sub DN. M. MATTHÆO LAVRENTIO, ad D. Mariæ Diacono quondam fidelissimo, qui cum Sororem Collegæ Nostri pie defuncti thoro associatam haberet, nihil omisit, quod ad exornanda studia facere potuit. Sed illo nimis mature defuncto, fidei DN. M. IO. IVSTI MOHRII, primum Scholæ hujus Oppidanæ Con-Rectoris, mox & Rectoris commissus fuit, cujus dexteritati multum studia sua debere sæpe professus fuit Beatus Noster. Tandem vero & Præceptorem habuit DN. M. MANZELIVM Gr. L. tum temporis apud nos Profess. Pub. mox Gymnasii Gustroviensis Rectorem, nunc vero Ecclesiæ Neo-Caldensis in Ducatu Gustroviensi Pastor, & Synodi simul Neo-Caldensis atque Dargunensis Præpositum optime merentem, qui cum Sororem Beati Nostri viduam tunc Laurentia-

tia-

tianam matrimonio rurſus junctam haberet, omni itidem induſtria ſtudia ejusdem expolire perrexit. Sic autem optime inſtructus ad altiora tendere cœpit. Et quidem primo Anno 1679. Menſe Majo Illuſtrem *Vitembergenſium Academiam* ſalutavit, ibidemque Hoſpitem ſibi ſelegit venerandum illum hodie Theologorum Senem VIRUM Magnificum Maxime Rever. Excellentiſſ. DN. D. IO. DEUTSCHMANNUM, Profeſſ. Theolog. longe Celeberrimum &c. Quo Duce privatim reſpondendo & opponendô ſæpe expeditum ſe exhibuit, hacque ratione præclara Theologiæ jecit fundamenta. Hujus Celeberrimi Theologi conſilio informatore quoque in Philoſophicis uſus eſt DN. M. GEORG. Schwartzen / Ordinis Phil. tum Adjuncto, mox SS. Theologiæ Doct. & Præpoſito Stargardia-Pomerano ſimulque Gymnaſii Profeſſ. jam p. m. ſub cujus præſidio elegantem de *Obligatione Conſcientiæ Diſputationem A. 1679.* omnium cum applauſu publice habuit. Præter hos ſuos Præceptores & alios adhuc, ut B. DN. D. CALOVIUM, B. JO. MEISNERUM, B. DN. QVENSTEDIUM Theologos quondam inſignes,

gnes, aliosque tum temporis Philosophos summo cum fructu studiorum suorum audivit. Antequam vero *Vitebergâ* discederet, & alia delicatiora *Saxoniæ & Misniæ* loca invisere placuit, inter quæ *Dresda & Hala* eminent, ibidemque curiosiora multa & memorabilia in usum suum observavit. Sequenti vero anno ad *Academiam patriam* reversus, quo ad divinarum imprimis doctrinarum sacraria penetraret, intimæ admissionis discipulus tum temporis hæsit, VARENII, COBABI, SIRICII, & SCHOMERI magni nominis Theologorum, jam itidem beate defunctorum. In specie sedulus auditor ac athleta fuit in Palæstrâ Disputatoriâ Theologicâ tum ab immortali illo Theologo B. SCHOMERO apertâ, eâque tam *privatâ Anti-Jesuiticâ*, quam *publicâ Anti-Socinianâ. Disputationem* quoque quandam *publicam* habuit Præside Magno VARENIO in *Collegio* Ejusdem *disputatorio super universam Theologiam A. 84.* nempe de *Proto-Canonicis, & deutero-Canonicis Scripturæ libris.* Quadriennio sic summâ cum laude consumto vicinam quoque Academiam *Greiffswaldensem* aliasque *Pomeraniæ* urbes ex ardore sciendi per-

perlustravit. Mox vero rediens eodem anno 84. *Lauream Magisterialem* modeste ambit, eundemque quoque *Brabeutâ*, & *Decano* tum *Excellentiss. ac Ampliss.* DN. M. CHRISTIANO HILTEBRANDO, Log. P. P. & Facult. Phil. Seniore Gravissimo, Collega nostro colendissimo, non sine laude impetravit. Quos honores ut tueretur ceu legitimus Olympionices varia passim *Collegia Philosophica* in usum Studiosæ Juventutis aperuit, nec sine insigni Studiosorum & concursu & applausu eadem absolvit. Nec minori cum laude ac gratiâ tam plebis, quam Eruditorum omnium sæpe è suggestu Sacras conciones summâ cum eloquentia habuit. Jamque novum meditabatur iter. Duobus ergo eruditionis plane singularis editis speciminibus: altero nimirum *declamatorio* oratione sc. de *litteraria artium venatione A.85.* d. 12. *Mart.* hab. memoriter, quâ simul munifici illius *Beneficii Poleyani* Administratoribus gratias pro collatione muneris hujus agebat: altero *disputatorio*, quo ut *Præses* disp. de *veritate Imperante* sequ. proxime 21. *Mart.* in Auditor. Maj. perquam expedite pro ingenii alacritate habuit. Sic Patriæ se commendans

dans eodem *Ao. 85. Vitembergam* iterum adiit *per Sedinum*, & *Berolinum* elegantissimas urbes itinere suo directo. Hospitem jam nanciscebatur Theol. illum famigeratissimum B. jam DN. D. ABRAH. CALOVIUM, inque ædibus DN. KIRCHMAIERI Eloqu. P. P. & Acad. Vitebergensis Senioris commorabatur. Hic denuo summo cum ardore Studiorum suorum telam pertexere laboravit, audiens in *Homileticis* Eloquentissimum DN. D. JO. FRID. MATERUM tum Prof. Theol. Vitebergensem jam Theologum Celeberrimum Hamburgensem. Quo duce verba frequenter è suggestu fecit. In *Theologicis* informatorem tum quoque habuit B. DN. D. MICH. VVALTHERUM supra B. KONIGII Theolog. Positiv. privatim legentem. In *Geographicis* pendebat ab ore Consummatissimi illius Polyhistoris DN. SCHURTZFLEISCHII. Nec hoc modo *Discipulus* heic tantum fuit; sed & *Doctor*. Hujus vero jura ac privilegia ut à *Facultate Philosophicâ* impetraret *duas* habuit *disputationes publicas*, quibus se pro more Academiæ illius, ut vocant, habilitavit. *Alteram* sc. habuit ut *Respondens* sub Præsidio DN. ROHRENSEE super *duodecadem Thesium sele-*

selectarum Moralium: alteram vero ut *Præses de fortuna fabro. mens. septembr.* ejusdem *Ann.* 85. Et sic potestatem legendi impetrans unum alterumve Collegium Philosophicum ibidem rursus non sine applausu Studiosæ Juventutis habuit. Heic excursionem quandam faciebat ad vicinam *Academiam Lipsiensem* omnis elegantiæ sedem, & perquam benevole ibidem exceptus fuit à Maxime Reverendis Theologis DN. D. ALBERTI, DN. D. CARPZOVIO, DN. D. PFEIFFERO &c. diem autem extremum obeunte sub initium seq. *anni* 86. Celeberrimo suo hospite CALOVIO, qui moribundus Beato nostro singulariter benedixerat, mox redire quidem ad suos volebat; sed diu subsistere animus non ferebat, cum peregrinandi ipsum incessisset voluptas. Hinc ad *Belgium* cursum suum dirigebat, adeoque media illius anni æstate *Hamburgi* navem conscendens oram *Frisiæ Orientalis* prælternavigando, & *Gorcomum* ac *Stavordam* contemplatus ad *Hollandiæ Septentrionalis* civitatem *Enkbysam* tendens *Amstelodamum* appulit. Mox per *Harlemum* ad Academiam *Leydensem* venit, *Witticbium*, *Gronovium*, *Woldecum*,

 alios-

aliosque Professores audiens, rarumque simul Medicorum ibi hortum & Theatrum anatomicum perlustrans. Inde *Hagam Comitum* & *Roterodamum* excurrit, tandemque autumno jam ingruente *Trajectum* adhuc vidit, ibique *Leydekkero*, *Grævio* aliisque Viris Eruditis innotuit. Tum per sinum maris navi *Zwollam* transportatur, indeque per *Benthemensem* Comitatum & *Monasteriense* territorium *Bremam* venit, & sic tandem ad oras nostras iterum accedit. Varia hic rursus *Collegia Philosophica* solito cum applausu studiosæ Juventuti exponit, doctamque disputationem quandam de *præjudiciis Philosophicis A. 87. d. 9. Apr.* ut *Præses* publice ventilat. *Anno sequenti* nempe 88. iter denuo novum, idque *Danicum* ingredi cupiebat; Sed planè ex improviso ipsum retrahit dulcissima Patria, dum ab Amplissimo hujus Urbis Senatu ad vacantem *Archidiaconatum ædis Marianæ* præsentabatur, moxque *d. 30. Maj.* per 120. vota eligebatur, succedens B. DN. M. LUDOVICO BARCLAI, qui quondam B. Ejus *Parentis* supra laudati *successor* fuerat. Munere sic publico ornatus de suavissimâ quâdam *Conjuge* jam fuit sollicitus. Accepit quo-

quoque Virginem tum Nobilissimam omnibusque virtutibus elegantissimis exornatam ANNAM KORTHOLTIAM, VIRI quondam Magnifici, Maxime Rev. Excellentiss. ac Amplissimi DN. CHRISTIANI KORTHOLTI, SS. Th. D. Ejusque ap. Kilonienses Prof, Prim. ac Academiæ Ejusdem Pro-Cancellarii jam p. m. Filiam. Quæ tum in ædibus Magnifici quondam Consulis Urbis nostræ Dn. DIETERICI Wolffraths / jam p. m. commorabatur, ab *Aviâ* ANNA KIRCHHOFIA educata, Vidua eheu jam mœstissima. Cum quâ suavissime ac conjunctissime hactenus vixerat, ut versus *Poëtæ Veteris* de illis usurpandus veniat: *Corporibus geminis Spiritus unus erat.* Ex ea *liberos* genuit 4. Ex quibus una est filia ANNA ELISABETHA adhuc in vivis, reliqui vero Filii, nempe, JOACHIM CHRISTIAN, JOACHIM, HINRICH, & JOANN. CASPAR. Ex quibus ultimus adhuc superstes, duo vero priores jam ad cœlites abierunt. Triennio post ad laudati jam *Soceri*, Dn. D. KORTHOLTI, invitationem per *Cimbriam* profectus *Kilonium* venit, ubi favorem Professorum imprimis Dn. D. FRANCKII, Dn. D. MAJO-

Dispositiones Epistolicæ Helmst. An. 1674.
Epist. interpres nummi Judaici, Helmst. 654
Hypotheses Oratoriæ Helmst. Anno 1669.
Dispositiones Oratoriæ. Helmst. An. 1674.
Tabulæ Chronologicæ Helmst. An. 1673.
Programmata Helmst. Anno 1667.

De Rhetoricorum Aristotelis Sententia & Usu Commentarius. Helmst. Anno 1674.

Livianarum Orationum duodeviginti Analysis Rhetorica. Helmst. 1676.

Chronici Marienthalensis Meibomiani continuatio. Helmst. 1651.

Oratio in obitum Conr. Horneii. Helmst. 1649. (1656.

Oratio in obitum Georgii Calixti, Helmst.

Oratio habita cum Acad. Juliæ Magistratum iniret. Helmst. 1653. (1650.

Oratio in Visitatione Acad. Juliæ Helmst.

Oratio in Visit. Acad. Juliæ Helmst. 1668.

Oratio in obitum Georgii Ducis Brunsv. & Luneb. Helmst. 1643.

Oratio in obitum Friderici Ducis Brunsvic. & Luneb. Helmst. 1649.

Oratio in solenni Acad. Juliæ studiorum instauratione. Helmst. 1652.

Oratio secularis, cum seculum suum primum finiret Acad. Julia, & alterum feliciter auspicaretur, Helmst. 1676. PRO-

PROGRAMMA,

Quo ad

EXEQUIAS,

Quas

Viro Maxime Reverendo, Amplissimo,

Excellentissimo,

DN. JOACHIMO LINDEMANNO,

Phil. & SS. Theol. Doctori, nec non Phys. & Metaph. P. P. famigeratissimo, Facultatis Phil. dum viveret, Decano Spectatissimo, ut & ad D. Mariæ Archi-Diacono longe meritissimo,

Mœstissima Vidua parabit,

die XXIX. Dec. Anno MDCXCVIII.

Omnes omnium ordinum Cives Academicos qua decet pietate, & Studio invitant

DECANUS, SENIOR,

&

reliqui Collegii Philosophici

PROFESSORES.

MEmoria Justi est in benedictionem. Optimum sapientissimi quondam Regis Salomonis est effatum. Prov. X. 7. Quorum verborum, Hebraismus si evolvatur, planus ac simplex sensus hic est: *Fama Justi est celebris & plausibilis*. Haud male exponente *Vatablo*. Et opponitur constans hæc Justorum memoria Famæ impiorum, quæ cum cadavere ipsorum perire dicitur, quando Sapientissimus *Salomo* addit: *nomen improborum marcesset*. q. d. Fieri potest, ut improbus, dum scelus occultat, justi & probi viri aliquandiu fama nominis fruatur; Sed ut flos emarcessit paulatim & ut caro putrescit, quæ sale non conditur: sic fama, quæ sine fructu virtutis aut divinæ sapientiæ sale ventilatur. Contra fama justorum floret, omnium in ore memoria ipsorum, si qua occurrit, venerabilis illa est cunctis. Vid. *Baynus*, Nec tantum floret hæc fama justis viventibus, vivit & post funera virtus, Dignumque laude virum Musa vetat mori. Hinc & *Rabbini* tam veteres quam recentiores his ipsis Sapientissimi Regis verbis, abbreviatis scilicet more suo ז״ל memoriam defunctorum suorum, imprimis *Rabbinorum*, commen-

mendare solent, si forte in scriptis suis ab ipsis citentur. Sic nec à *Christianis* mos hic memoriam justorum commendandi plane improbatur, quin potius cana eaque pia antiquitas eundem sedulo observaverit. Testantur id veterum *Diptycha, tabulæque ecclesiasticæ*, item *catalogi Martyrum*, ex quibus deinceps *Menologia Menæa* & *Martyrologia* fuere nata. Quæ quamvis quidem ob impuriorum seculorum superstitionem in abusum quendam degeneraverint; abusus hic tamen usum quoque legitimum ac licitum tollere minime debet. Et sic etiam nos ex monito *Salomoneo*, atque exemplo *veterum* memoriam *Justorum* pariter ac *Eruditorum pie defunctorum*, absque superstitione tamen Papali, celebrem habemus, ut nimirum *natales, vitam, ac facta* ipsorum consignemus, decenti elogio ornemus, & si qua occurrat occasio, non sine laude eorundem recordemur, præsertim ultimis hisce ac vere pessimis temporibus, ad quæ proh dolor! reservati sumus, quibus Justi deficiunt, docti desiderantur. Egregie certe *Daniel Heinsius* in obitum *Philippi Crüveri*, Geographi Celeberrimi. *Nunc, cum hoc præsertim tempo-*

re magnorum tanta ſit penuria ac paucitas virorum, ut, cum ſingulis, qui moriuntur, ipſa prope eruditio ac literæ efferri videantur, cavendum nobis vel imprimis reor, ne quos ad exempla laudum atque æternitatem nominis natura genuit, ſine ullâ commendatione tanquam fugitivi elabantur. Ita eſt! Clarorum virorum facta literis mandanda ſunt, non ſolum ad gratam eorundem recolendam memoriam: ſed etiam ad ſtudium ſimilium virtutum in animis aliorum excitandum. Habet enim acres in animis excelſis ad virtutem ſtimulos eorum, qui cum laude vixerunt, per exemplum quaſi per ſpeculum vivum atque ardens propoſitum, accenſa æmulatio! Siſtitur, vobis Cives Academici exemplum, hodie certe rarum, dum *Virum Maxime Reverendum, Excellentiſſimum atque Ampliſſimum* DN. JOACHIMUM LINDEMANNUM; *S. Theol. Doct. Celeberrimum Metaph. ac Phyſ. in hâc almâ Prof. Publ. Ordin. famigeratiſſimum & ad D. Mar. Archidiaconum longe meritiſſimum, Collegam noſtrum eheu deſideratiſſimum* præmaturâ morte nobis ereptum non ſine lacrymis lugemus. Non ſit memoria hujus Juſti ac Eruditi ſine

ne benedictione quali qualicunque nostra. Sed utinam hic nobis *Ciceronis* suada *Demosthenis* eloquentia esset. *Plinius Junior* de *Virginio Rufo*, qui laudis suæ assertorem consecutus erat ævi sui disertissimum *Cornelium Tacitum*, dicit, *hunc supremum ejus felicitati accessisse cumulum, laudatorem eloquentissimum.* Verum enim vero quamvis hic quidem balbuties nostra eloquentiam nullam erudito orbi promittere queat circa laudes Viri, qui laudari satis nequit, quamvis etiam non ignari simus illius veteris: *Malum pictorem bonam formam imperitiâ suâ deteriorem reddere.* Pietas tamen nostra erga pie defunctum plane silere non permittit. Hinc divinum Tanti Viri ingenium rudi saltem adumbrare penicillo, vitæque præclare actæ curriculum absque verborum pomposo ornatu recensere conamur. Natus est LINDEMANNUS Noster *seculi* ille *præsentis dum viveret Phœnix* heic Rostochii Anno 1662. d. 7. April. ex Majoribus suis omni nostrâ laude majoribus. *Parentem* habuit Virum quondam Plur. Rev. ac Ampliss. DN. IOACHIM. LINDEMANNUM, primo ad ædem S. Petri per XIIX. annos Diaconum,

num, deinceps ad D. Mariæ Archidiaconum per VII. annos meritiſſimum, ac propter incomparabilem ſuadam acceptiſſimum. *Matrem* vero veneratus fuit Matronam omni pietatis ac virtutum ſplendore valde conſpicuam EVAM Goldſteins / quæ adhuc dum longa annorum ſerie clara ſuperſtes, obitum hunc præmaturum ſui Chariſſimi Filii mœſtiſſima luget. *Avus paternæ lineæ* fuit VIR quondam Præ-Nobiliſſimus, Excellentiſſ. ac Ampliſſ. THOMAS LINDEMANNUS Hervordiâ Weſtphalus J. U. D. Ejusque Prof. P. in hac alma meritiſſimus, ſimulque civitatis hujus Syndicus, & Comes Pal. Cæſar, nec non Conſiliarius Sereniſſimi Ducis Meklenb. quondam regentis DN. ADOLPHI FRIDERICI glorioſæ recordationis. *Avia ejusdem Paternæ Lineæ* fuit ELISABETHA HAHNIA ex Patricio HAHNIORUM ſtemmate hic oriunda, quæ deinceps, pie jam defuncto DN. D. THOMÆ LINDEMANNO, nupſit JCto & Practico Celeberrimo DN. D. ADOLPHO FRIDERICO AB HAGEN. *Avus Maternæ Lineæ* fuit VIR quondam Maxime Rev. ac Ampliſſ. DN.

M.

M. IOANNES Goldstein / alias Chrysolithus, Pastor hic Nicolaitanus & Ecclesiarum Rostochiensium Superintendens meritissimus. Avia *Ejusdem materna linea* fuit DOROTHEA Alwarten. Proavum ex paternâ lineâ habuit Virum quondam spectatissimum DN. HINRICVM LINDEMANNVM Civem Hervordiensem in Westphalia inclytum. *Proaviam* vero ex eadem *linea* ANNAM KIRCHOFFS. *Proavus Materna linea* fuit VIR quondam Spectatissimus DN. IACOBVS Alwart / Civis ROSTOCHIENSIS Optimus. *Proavia* ejusdem *linea* CATHARINA DVNCKERS. Ut celeberrimum quondam *Patruum* ipsius Virum Maxime Rev. Excell. Amplisf. DN. THOMAM LINDEMANNVM SS. Th. D. Ejusque Prof. Publ. heic Rostochii; & deinceps Ecclesiæ Teutonicæ apud Haffnienses meritissimum, aliaque stemmatis decora hâc vice taceamus. Hisce Celeberrimis Majoribus BEATVS Noster Collega natus Majorum quoque vestigia feliciter ut legeret, omnem navarunt operam Parentes, imprimis vero optima Mater. Hæc enim, Patre ipsi puero 7. annorum per mortem abre-

tianam matrimonio rurſus junctam haberet, omni itidem induſtria ſtudia ejusdem expolire perrexit. Sic autem optime inſtructus ad altiora tendere cœpit. Et quidem primo Anno 1679. Menſe Majo Illuſtrem *Vitembergenſium Academiam* ſalutavit, ibidemque Hoſpitem ſibi ſelegit venerandum illum hodie Theologorum Senem VIRUM Magnificum Maxime Rever. Excellentiſſ. DN. D. IO. DEUTSCHMANNUM, Profeſſ. Theolog. longe Celeberrimum &c. Quo Duce privatim reſpondendo & opponendô ſæpe expeditum ſe exhibuit, hacque ratione præclara Theologiæ jecit fundamenta. Hujus Celeberrimi Theologi conſilio informatore quoque in Philoſophicis uſus eſt DN. M. GEORG. Schwartzen / Ordinis Philtum Adjuncto, mox SS. Theologiæ Doct. & Præpoſito Stargardia-Pomerano ſimulque Gymnaſii Profeſſ. jam p. m. ſub cujus præſidio elegantem de *Obligatione Conſcientiæ Diſputationem A. 1679.* omnium cum applauſu publice habuit. Præter hos ſuos Præceptores & alios adhuc, ut B. DN. D. CALOVIUM, B. JO. MEISNERUM, B. DN. QVENSTEDIUM Theologos quondam inſignes,

gnes, aliosque tum temporis Philoſophos ſummo cum fructu ſtudiorum ſuorum audivit. Antequam vero *Vitebergâ* diſcederet, & alia delicatiora *Saxoniæ & Miſniæ* loca inviſere placuit, inter quæ *Dresda & Hala* eminent, ibidemque curioſiora multa & memorabilia in uſum ſuum obſervavit. Sequenti vero anno ad *Academiam patriam* reverſus, quo ad divinarum imprimis doctrinarum ſacraria penetraret, intimæ admiſſionis diſcipulus tum temporis hæſit, VARENII, COBABI, SIRICII, & SCHOMERI magni nominis Theologorum, jam itidem beate defunctorum. In ſpecie ſedulus auditor ac athleta fuit in Palæſtrâ Diſputatoriâ Theologicâ tum ab immortali illo Theologo B. SCHOMERO apertâ, eâque tam *privatâ Anti-Jeſuiticâ*, quam *publicâ Anti-Socinianâ*. *Diſputationem* quoque quandam *publicam* habuit Præſide Magno VARENIO in *Collegio* Ejusdem *diſputatorio ſuper univerſam Theologiam A. 84.* nempe de *Proto-Canonicis, & deutero-Canonicis Scripturæ libris.* Quadriennio ſic ſummâ cum laude conſumto, vicinam quoque Academiam *Greiffswaldenſem* aliasque *Pomeraniæ* urbes ex ardore ſciendi per-

perluſtravit. Mox vero rediens eodem anno 84. *Lauream Magiſterialem* modeſte ambit, eundemque quoque *Brabeutâ*, & *Decano* tum *Excellentiſſ. ac Ampliſſ.* DN. M. CHRISTIANO HILTEBRANDO, Log. P. P. & Facult. Phil. Seniore Graviſſimo, Collega noſtro colendiſſimo, non ſine laude impetravit. Quos honores ut tueretur ceu legitimus Olympionices varia paſſim *Collegia Philoſophica* in uſum Studioſæ Juventutis aperuit, nec ſine inſigni Studioſorum & concurſu & applauſu eadem abſolvit. Nec minori cum laude ac gratiâ tam plebis, quam Eruditorum omnium ſæpe è ſuggeſtu Sacras conciones ſummâ cum eloquentia habuit. Jamque novum meditabatur iter. Duobus ergo eruditionis plane ſingularis editis ſpeciminibus: altero nimirum *declamatorio* oratione ſc. de *litteraria artium venatione A.85.* d. 12. *Mart.* hab. memoriter, quâ ſimul munifici illius *Beneficii Poleyani* Adminiſtratoribus gratias pro collatione muneris hujus agebat: altero *diſputatorio*, quo ut *Præſes* diſp. de *veritate Imperante* ſequ. proxime 21. *Mart.* in Auditor. Maj. perquam expedite pro ingenii alacritate habuit. Sic Patriæ ſe commendans

dans eodem *Ao. 85. Vitembergam* iterum adiit *per Sedinum*, & *Berolinum* elegantissimas urbes itinere suo directo. Hospitem jam nanciscebatur Theol. illum famigeratissimum B. jam DN. D. ABRAH. CALOVIUM, inque ædibus DN. KIRCHMAJERI Eloqu. P. P. & Acad. Vitebergensis Senioris commorabatur. Hic denuo summo cum ardore Studiorum suorum telam pertexere laboravit, audiens in *Homileticis* Eloquentissimum DN. D. JO. FRID. MATERUM tum Prof. Theol. Vitebergensem jam Theologum Celeberrimum Hamburgensem. Quo duce verba frequenter è suggestu fecit. In *Theologicis* informatorem tum quoque habuit B. DN. D. MICH. VVALTHERUM supra B. KONIGII Theolog. Positiv. privatim legentem. In *Geographicis* pendebat ab ore Consummatissimi illius Polyhistoris DN. SCHURTZFLEISCHII. Nec hoc modo *Discipulus* heic tantum fuit; sed & *Doctor*. Hujus vero jura ac privilegia ut à *Facultate Philosophicâ* impetraret *duas* habuit *disputationes publicas*, quibus se pro more Academiæ illius, ut vocant, habilitavit. *Alteram* sc. habuit ut *Respondens* sub Præsidio DN. ROHRENSEE super *duodecadem Thesium*

sele-

selectarum Moralium: alteram vero ut *Præses de fortuna fabro. mens. septembr.* ejusdem *Ann.* 85. Et sic potestatem legendi impetrans unum alterumve Collegium Philosophicum ibidem rursus non sine applausu Studiosæ Juventutis habuit. Heic excursionem quandam faciebat ad vicinam *Academiam Lipsiensem* omnis elegantiæ sedem, & perquam benevole ibidem exceptus fuit à Maxime Reverendis Theologis DN. D. ALBERTI, DN. D. CARPZOVIO, DN. D. PFEIFFERO &c. diem autem extremum obeunte sub initium seq. *anni* 86. Celeberrimo suo hospite CALOVIO, qui moribundus Beato nostro singulariter benedixerat, mox redire quidem ad suos volebat; sed diu subsistere animus non ferebat, cum peregrinandi ipsum incessisset voluptas. Hinc ad *Belgium* cursum suum dirigebat, adeoque media illius anni æstate *Hamburgi* navem conscendens oram *Frisiæ Orientalis* præternavigando, & *Gorcomum* ac *Stavordam* contemplatus ad *Hollandiæ Septentrionalis* civitatem *Enkhysam* tendens *Amstelodamum* appulit. Mox per *Harlemum* ad Academiam *Leydensem* venit, *Witticbium*, *Gronovium*, *Woldecum*,

 alios-

aliosque Professores audiens, rarumque simul Medicorum ibi hortum & Theatrum anatomicum perlustrans. Inde *Hagam Comitum* & *Roterodamum* excurrit, tandemque autumno jam ingruente *Trajectum* adhuc vidit, ibique *Leydekkero*, *Grævio* aliisque Viris Eruditis innotuit. Tum per sinum maris navi *Zvvollam* transportatur, indeque per *Benthemensem* Comitatum & *Monasteriense* territorium *Bremam* venit, & sic tandem ad oras nostras iterum accedit. Varia hic rursus *Collegia Philosophica* solito cum applausu studiosæ Juventuti exponit, doctamque disputationem quandam de *præjudiciis Philosophicis A. 87. d. 9. Apr.* ut *Præses* publice ventilat. *Anno sequenti* nempe 88. iter denuo novum, idque *Danicum* ingredi cupiebat; Sed planè ex improviso ipsum retrahit dulcissima Patria, dum ab Amplissimo hujus Urbis Senatu ad vacantem *Archidiaconatum ædis Marianæ* præsentabatur, moxque *d. 30. Maj.* per 120. vota eligebatur, succedens B. DN. M. LUDOVICO BARCLAI, qui quondam B. Ejus *Parentis* supra laudati *successor* fuerat. Munere sic publico ornatus de suavissimâ quâdam *Conjuge* jam fuit sollicitus. Accepit quo-

quoque Virginem tum Nobilissimam omnibusque virtutibus elegantissimis exornatam ANNAM KORTHOLTIAM, VIRI quondam Magnifici, Maxime Rev. Excellentiss. ac Amplissimi DN. CHRISTIANI KORTHOLTI, SS. Th. D. Ejusque ap. Kilonienses Prof. Prim. ac Academiæ Ejusdem Pro-Cancellarii jam p. m. Filiam. Quæ tum in ædibus Magnifici quondam Consulis Urbis nostræ Dn. DIETERICI Wolffraths / jam p. m. commorabatur, ab *Aviâ* ANNA KIRCHHOFIA educata, Vidua eheu jam mœstissima. Cum quâ suavissime ac conjunctissime hactenus vixerat, ut versus *Poëtæ Veteris* de illis usurpandus veniat: *Corporibus geminis Spiritus unus erat.* Ex ea *liberos* genuit 4. Ex quibus una est filia ANNA ELISABETHA adhuc in vivis, reliqui vero Filii, nempe, JOACHIM CHRISTIAN, JOACHIM, HINRICH, & JOANN. CASPAR. Ex quibus ultimus adhuc superstes, duo vero priores jam ad cœlites abierunt. Triennio post adlaudati jam *Soceri*, Dn. D. KORTHOLTI, invitationem per *Cimbriam* profectus *Kilonium* venit, ubi favorem Professorum imprimis Dn. D. FRANCKII, Dn. D. MAJO-

RIS, CLASENII, & GEORGII PASCHII Affinis sui honoratissimi sibi conciliavit. Abhinc *Gottorpium* profectus *Bibliothecam* ibidem celebremque *Globum* non sine animi delectatione conspexit, admissus simul à Maxime Rever. tum temporis ibidem Superintendente Generali DN. C. H. SANDHAGENIO, Affine suo honoratissimo jam p. m. Et reliquam quoque *Holsatiæ* partem eodem itinere peragravit. Nec sine fructu, nec frustra. Cum & exteri tum peregregiis certe Beati Nostri donis allecti ationem ejusdem habere cœperint. Sic enim primo Reverendissimus DN. EPISCOPUS LUBECENSIS Eutinæ in Holsatiâ residens, Ecclesiasticam ipsi functionem in aulâ clementer offerre propendebat, quam quoque accepisset, nisi Auditores ipsius Mariani precibus suis tam charum sibi pignus retinuissent. Quo etiam fiebat, ut Præ-Nobilissimus ac Amplissimus SENATUS Noster, Compatronus Academiæ Nostræ Munificentissimus *Professionem Physic. & Metaphysic. Ordinar.* benignissime ipsi demandaret, ad quam quoque *Anno 1692. Mens. Septembr.* solemniter fuit introductus, prævia inaugurali oratione de *Philosophia con-*

contra Novaturientium censuras vindicanda. Deinde *Vismarienses* B. nostro affectum suum contestaturi Pastoratum Nicolaitanum & Regii Consistorii ibidem *Assessoratum* ipsi offerebant; sed ob plane singularem Auditorii sui in se amorem gregem suum relinquere noluit. Mox & An. 95. nomen suum professus *Facultati Theologicæ Academiæ* nostræ *Reverendissimæ*, & quidem *Decano Seniore* Ejusdem Magnifico Maximè Reverendo Excellentissimo ac Amplissimo DN. D. ANDREA DANIELE HABICHHORSTIO, SS. Th. Prof. celeberrimo & Consistorii Duc. Assessore Gravissimo, Collegii Proff Ducal. ut & FCtis Theol. Seniore meritissimo, Collega ac Fautore nostro perquam colendo. Admissus quoque quam lubentissime fuit, & rigoroso Examine cum laude exantlato *d. 9. April. Horis* pro & *postmerid. Disputationem* suam *Inauguralem* eleganter conscriptam de *Sanctorum cum Christo Redivivorum Resurrectione ex Matth.* XXVII. 52. 53. cum applausu totius Auditorii feliciter habuit; Præside modo laudato *Decano* Maxime Spectabili. Quo *Promotore* eodem quoque Anno *Summi* ipsi in Theologiâ collati sunt *honores*,

 quos

quos *Doctoratum* appellare solemus. Ceterum utramque suam spartam publicam tam *Ecclesiasticam* quam *Academicam* peregregie hucusque ornavit, Auditorium suum Ecclesiasticum suadâ suâ plane admirandâ ita docens ac flectens, ut pro altero haberetur *Chrysostomo*. Quo detestari poterunt *Scripta* quædam *sacra Germanica* typis excusa. Ita & Auditorium Academicum non minori cum eloquentiâ ac eruditione satiavit, partim *curiosissima Collegia*, tam *publica*, quam *privata* aperiendo, eademque summâ tum dexteritate ac sedulitate tractando: partim *disertissimas Orationes* de curiosis materiis habendo: partim *Disputationes* aliaque *scripta* edendo, quæ in omnium versabuntur manibus. Quibus etiam accessissent *Dubia 4 Evangelistarum varius occurrentia, nec satis explicata*, si vita diutius concessa ipsi fuisset. At vero cum serena viderentur auspicia, insperatus Viri Divini obitus, nescio quo modo? lumen illud obnubilavit, ac acerbissimo luctu totam Academiam pariter ac familiam confudit. Usque adeo nihil in humanis rebus certum est. Mors sola certa; de quo admodum pie *Magnæ Britanniæ Rex Carolus*

rolus I. indignissime à suis subditis occisus in *libello* sub tit: εἰκὼν βασιλικὴ *p. 248. Gratias Deo habeo, nec in secundis meis nova erat mihi hæc mortis meditatio, nunquam importuna existimanda cum sint illa tam incerta. Est enim mors Eclipsis ejusmodi, quæ in sudo æque fit, ac nubilo tempore.* Sed veniendum ad *extrema* Viri. Sic enim admodum fatalis nobis est dies ille *14. mensis* hujus *Decembris*, quo, postquam per octiduum, & quod excurrit, cum vehementissimo conflictatus fuisset morbo, ab eodem tandem superatus in medio ætatis flore eheu defloruit, ultimumque suum vale nobis omnibus dixit. Hinc dolor, hinc lacrymæ! Luget Cathedra, luget suggestus, ipsi te lapides, ipsa Te Ligna LINDEMANNE vocant, luget splendidissima familia, luget tristissima Conjux, luget mœstissima Mater, lugent delicatissimi liberi, luget suavissima Soror, lugent affines ac cognati reliqui omnes; Lugent Collegæ, lugent auditores, lugent boni omnes, & quasi uno ore non sine singultibus Tibi acclamamus omnes: *Ah Pater! Ah Pater! currus Israelis & ejus exercitus!* Dominus vero, qui nos afflixit, suo nos solatio iterum

recreet. Sitque inprimis etiam tristissimæ Conjugi loco Mariti, Mœstissimæ Matri loco auxiliatoris, liberis instar Patris. Reliquum est, ut tempus exequiis solemnibus destinatum indicemus: Efferetur nimirum funus Dilectissimi quondam Nostri Collegæ Hodie Hora 1. Conventus autem erit in æde Mariana. Præter rem autem faceremus profecto, si quemquam Vestrûm Cives Academici, una ire impensius vel rogaremus vel hortaremur, quod scimus universos ultro & frequentissimos, qua fieri potest, facturos, & sat scimus, quod postremum hoc pietatis & humanitatis officium ac sola nominis LINDEMANNI, quod singulariter hoc meretur, mentio omnes bonos fortius obstringet, quam ullius hominis aut Scripti invitatio. P.P. *sub Sigillo Facultatis Philosoph. ANNO MDCXCVIII. d. XXIX. Decembr.*

SCRIPTA.

De Proto-Canonicis & Deutero-Canonicis Scripturæ libris Disp. Præside D. Augusto Varenio, Rostochii 1684.

De Veritate imperante. ibid. 1685.

Dodecas Thesium selectarum moralium, Præ-

Præside Christ. Röhrensee Wittebergæ, 1685.

De Fortunæ fabro, ibid. eod. anno.

De Præjudiciis Philosophicis, Rost. 1687.

Oratio inaug. de Philosophiæ dignitate, contra Novaturientium censuras vindicanda. ibid. 1693. in 4to.

Dynamiscopia divina succinctis thesibus comprehensa, ibid. 1694.

Joannis Caselii εὐχαριστικός, sive Discursus solennis de Academia, in Universitate Julia Anno 1592. habitus & propter utilitatem eximiam & argumenti raritatem in usum Seculi nostri recusus. Accedit Editoris Epistola ad D. Kortholtum & D. Fechtium. Recensente M. Joach. Lindemanno, P. P. Rostochii 1694. 4.

Sanctissimum jubar simplicitatis divinæ, in quantum Philosopho contemplari fas est. ibid. 1695.

De Sanctis cum resurgente Christo resurgentibus ex Matth. XXVII. 52. 53. Diss. inaug. Præside D. Andr. Dan. Habichhorstio. Rost. 1695.

De iis, quæ Theologia naturalis ignorat. 1696.

De Pantoſophiæ humanæ lineamentis. 1698.

Die in Wohlfahrt geendigte Wallfahrt/ bey Chriſt-anſehnlicher Leichbeſtattung der Wol-Edlen/ Hoch-Ehr- und Tugend-belobten Frauen Fr. Margaretha Kirchrings/ entworffen von Joach. Lindemann. Roſt. 1693.

In MSc. latent elegantiſſima Oratio panegyrica de Endymione Academico, commendante eruditionem dormitando parabilem. Itemque alia de literaria artium venatione. &c.

Re-

Rector & Professores
ATHENÆI GEDANENSIS
Ad
Luctuosi Funeris Exequias,
VIRO
NOBIL. EXCELLENT. CLARISSIMOQUE
DOMINO
JO. JOACHIMO REVSSIO,
Græc. & Ebreæ Lingv.
Professori optime merito,
Collegæ suo longe desideratissimo
d. XI. Septembr. Ann. MDCCVIII.
Ritu Christiano parandas
STVDIOSAM JVVENTVTEM
invitant.

MEmorabilibus Heliconis nostri annumerandum est, quod ab eo tempore quo conditum apertumque est Illustre Athenæum Gedanense, non nisi ad unum Professoris Græcæ, & ad aliud Professoris Ebreæ linguæ, utriusque in hoc munere suo, cum immortali nominis sui gloria, placide apud nos defuncti funus; Vos, Cives Studiosi Lectissimi, invitare, opus fuerit. Nam ab Anno fundati Gymnasii primo, qui fuit post Filium nobis datum Millesimus quingentesimus quinquagesimus & octavus, ex Professoribus qui Græcam linguam in eo sunt professi, unius ROSTEVSCHERIANI funeris causa, tam mœstum alloquium ad Studiosam Juventutem instituendum fuit. Respicimus VVOLFGANGVM ROSTEVSCHERVM, Gr. Ling. Professorem publicum & Collegii Professorum Seniorem, de his literis in Athenæo nostro per duos & quadraginta annos longe meritissimum, cujus obitus contigit An. cIɔ Iɔc Xc. d. XXVI. Decembris. Reliqui autem, qui eandem spartam apud nos egregie ornarunt, Michael Retellius, Michael Laubanus, Andreas Dasius, Zacharias Wolrabius, Andreas Hojerus, Daniel Lagus, Constantinus

nus Wolfius & Daniel Gradius, relicta hac Musarum sede, aliis muneribus vel in hac civitate, vel apud exteros præfecti, quos inter postremo loco memoratus Vir Pl. Rever. ac Clarissimus, Templi ad D. Jacobi Ecclesiastes vigilantiss. hodienum super est, a tam lugubri officio manibus eorum parando, immunes nos reddiderunt. Pariter ex Professoribus Ebreæ Linguæ, quæ Professio demum ab A. cIɔ Iɔc XcII cum Græca juncta fuit, cum antea ab A. cIɔ Iɔc XXXI Professores Theologi, sanctiores istas Linguas ultro docerent, unico IOHANNI SALOMONI, Judæo converso, ac ab A. cIɔ Iɔc LIX ad A. cIɔ Iɔc LXXXIII Ling. Ebr. in Athenæo nostro Professori Ordinario, cui IOH. MAVKISCHIVS, S. Theol. D. ac PP. Conversi hujus in Athenæo promotionem percupiens, Magnifici Scholarchalis Collegii consensu & autoritate, professionem hanc cesserat, extremum illud pietatis debitum præstare necessum fuit. Vtinam vero nunc iterum tristi necessitate non compelleremur indicendi immaturum Viri Nobil. Excell. Clarissimique DN. IOHANNIS IOACHIMI REVSSII, Gr. & Ebr. Lingv. Professoris optime meriti, obitum, qui tanto acerbior nobis

nobis accidit; tantoque dignior est, quem luctu & lacrumis prosequamur, quanto magis insperatus fuit, quanto & opinione citius per eum privati sumus Collega prudente, moderato, pacis amante, conversationis jucundæ, & vero Ordinis nostri ornamento. Interea quia ita visum fuit supremo vitæ necisque Arbitro, obtemperabimus divinæ voluntati, quodque unicum officii & pietatis genus reliquum est egregio Viro præstandum, cursum vitæ laudabiliter gestæ, ex more hactenus recepto, breviter delineabimus. Primam ergo lucem vidit Clarissimus REVSSIVS noster, Anno reparatæ gratiæ CIↃ IↃC LXXVI, die VI. Januarii. Parentes habuit probos honestosque: Patrem, Virum Pl. Rever. IOHANNEM REVSSIUM, Pastorem vici, Oberbeister dicti, in Marchia veteri Elect. Brandeb. ad oppidum Seehusium siti; Matrem, fœminam castam variisque ornatam virtutibus SOPHIAM ELISABETHAM RIEBENDS. Sacro Baptismatis fonte ablutum, provida Parentum cura, primis, primæque ætati convenientibus Pietatis ac Religionis Christianæ principiis instituit, aliisque instituendum dedit. Vix pueritiæ annos emensus erat,

erat, cum natale solum cum Lubena Lusatiæ inferioris oppido commutare ipsi necessum erat, ubi benignitate Amitæ suæ enutritus, Præceptores simul nactus fuit dexterrimos, qui dulcore literarum animum tenerrimum imbuere ceperunt. Accrescente deinceps ætate, Palæo-Sedinum abiit, ubi octo annorum intervallo ea industria ac cura pertractavit optimarum artium studia, ut literis, vitæ innocuæ & in studiis diligentiæ indefessæ testibus, a Moderatore Scholæ Magistro VVEHLINGIO ultro ei oblatis, instructus, Lubecæ postmodum non sine fructu, studia sua potuerit continuare. In hoc florentissimo Musarum commerciorumque emporio, præcipue Græcas literas, sub ductu Conrectoris B. HESSII, itemq; Hebraicas, fideliter has instillante ENOCHO SVANTENIO, Lycei Rectore, sedulo excoluit, quorum animos propensissimos diligentia vitæq; integritate facile sibi conciliavit. Præ aliis vero B. D. AVGVSTI PFEIFFERI Superintendentis quondam Lubecensis celeberrimi benevolentiam amoremque vere paternum ibi expertus est, qui non solum consiliis saluberrimis instruere animum defuncti voluit, sed præterea mensa sua

sa sua illum frui liberaliter passus est. Hoc suasore & impulsore, triennio Lubecæ exacto, Vitebergam proficisci in animo habuit, sed cum itineri intentus ventum adversum haberet, Stralesundum nave appulsa, ad Academiam vicinam Rostochiensem se conferre maluit: vbi nactus Præceptores insignes & doctrina probatissimos IOH. FECHTIVM, SAM. STARCKIVM, & ZACHAR. GRAPIVM, indefessa industria adeo suis satisfecit partibus, ut Professorum omnium, & imprimis modo laudati, & nunquam satis laudandi Doctoris FECHTII favorem amicitiamque meruerit, sub cujus & DN. GRAPII Præsidio quoque bis Respondentis vices publice sustinuit. Inde, relicto Rostochio, cursum in Academiam Regiomontanam dirigens, Elbingæ diuturniore morbo detentus fuit, quo levatus, istas demum Borussiæ Athenas accessit, eo animo, ut studiorum Theologicorum cursum ibi absolveret, quo in loco per sexennium permansit, scopumque suum feliciter attigit, adjutus imprimis opera DN. D. PESAROVII & DN. D. VVEGNERI, sub quo etiam solenniter disputavit. Adjecit S S. Theologiæ, studium Linguarum præsertim Rabbinicarum,

rum, usus opera IOH. VVILH. BOCK, Judæi conversi. Adeo autem jam creverat ejus eruditio, ut ipse bonas artes, imprimis lingvam Græcam & Ebraicam felicissimo successu alios docere posset. Interim mirabili cupiditate harum literarum incensus erat, quarum ulterius excolendarum causa, Regiomonto Hamburgum, pellectus fama L. EDZARDI, hinc Kilonium, sectatus magna illa Philologorum Lumina OPITIVM & DASSOVIVM, se recepit, & utrobique horum Doctorum magisteriis ac scholis mirum quantum profecit. Elapso aliquo tempore, Anno CIↃ IↃCC IV in hanc civitatem nostram delatus est, non sine miro Dei consilio, uti ipse aliquoties agnovit, evocatus â Viro quodam ingenuo, ut liberos ejus literis moribusque privatim institueret: in qua statione tamen per paucos solum menses, morte Benefactoris sui interveniente, permansit. Ab eo tempore Collegia Græca pariter ac Hebraica privatim habendo, viam ad futuræ Professionis felicitatem sibi aperuit. Magnificus enim Vrbis Magistratus, tum aliorum fide, tum erudito profectus & ingenii specimine, quod ipse Ao. CIↃ IↃCCV, occasione verborum Malachiæ cap. II, v. 16.

כרשנא שלח, tentaverat, & Illustri Collegio Scholarchali exhibuerat, de indefessa ejus industria & in docendo dexteritate certior redditus, vacante per abitum Viri Pl. Rev. Clarissimique DN. M. DANIELIS GRADII ad munus Ecclesiasticum in templo D. Jacobi obeundum, Græcæ ac Ebreæ Linguæ Professione, dignum eum judicavit, ut legitima vocatione A. cIↃ IↃCC VI hanc spartam ipsi demandaret, cui d. IV. Novembr. ejusdem anni consueto ritu præfectus fuit. In tam arduo & gravissimo officio Beatus noster non nisi summa cum laude se gessit, nihil quicquam omittens, quod suarum esse partium credidit, quod ipsum notius est, quam vt prolixe hic debeat recenseri. Cum vero exsortem matrimonii vitam agendam sibi non existimaret, tori consortem elegit Lectissimam suique sexus virtutibus ornatissimam Virginem, FLORENTINAM ELISABETHAM BAVMIAM, quod connubiale fœdus A. cIↃ IↃCC VII. d. XIV. Julii consummavit. Conjugium illud prole licet destitutum hactenus, satis erat tranquillum & ab omni parte faustum, nisi mors nimis mature divulsisset, quos amor arctissime conjunxerat. Ita enim supremo Numini placuit, ut, cum primitias amo-

amoris conjugalis vix deguſtaſſet, in munere autem Profeſſorio nondum annum ſecundum compleſſet, ipſum ex hac mortalitate iterum evocaret, immiſſo hanc ob cauſam ei morbo primum leviori, qui ex ſtomacho videbatur habere originem, cujus initia ſenſit die XVIII. Auguſti, Sabbati, & die XIX. Dominico. Attamen non ceſſavit die ſequenti, quo anniverſarium Examen inſtituebatur, inter reliquos Profeſſores, officii ſui partes explere. Inde vero domum reverſus graviorem morbum latentem ſenſit, cujus incrementa mox prodidit febris acuta, quæ vires ægroti de die in diem totas comburebat, fruſtra adhibitis variorum nobiliſſimorum remediorum ſpeciebus. Durante morbo ac interiore ſimul æſtu, durarunt apud ægrum piæ & ardentes meditationes, cumque mortis horam inſtare videret, & vivere & mori ſe promptum, uti domino ſuo viſum eſſet, profitebatur. Hoc modo DEO ſe permittens, totumque tradens, & viatico cœleſti præparatus, inter preces & ſuſpiria, rationis ſuæ ad extremum usque halitum compos, placide obdormivit, & miſeram hanc mortalemque

vitam cùm beata & sempiterna pie feliciterque commutavit, Dominica XIII. post Trinit. die II. Septembr. hora octava matutina; cum vixisset Annos XXXII, menses IX. Nunc superest, Cives Studiosi, ut Vos vestrum agatis officium, & pie defuncto Professori ultimum Christiani honoris officium, & animi grati signum exhibeatis, quod in exequiis præsentia vestra exornandis consistet. Id igitur ut prompte & prolixe faciatis, etiam atque etiam adhortamur. P.P. d. XI. Septembris cIↃ IↃcc VIII.

SCRIPTA.

Periculum Hermenevticum, occasione verborum Malach. II. v. 16. כי־שנא שלח, tentatum & exhibitum Gedani, 1705. 4.

Programma de Philologiæ amplitudine, quô simul Lectiones suas publicas intimavit. Ged. 1706. fol.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I.

CELEBERRIMI VIRI

IOANNIS CASELII

AD

IOANNEM RECCIVUM,

imperialis reipublicæ Goslarienſis Conſulem ampliſſimum,

EPISTOLA.

Agitur hac epistola de puerili educatione ad litteras, non suscepta pleniore explicatione hujus negotii. Visum enim mihi fuit ex pluribus adspergere nonnulla, quæ ad rem facerent. Nactus autem præter ea hic satis commodam occasionem, profero aliquot viros non vulgari doctrinâ præditos nationis Westphalicæ, qui ab annis circiter septuaginta de bonis litteris & pueritia in hisce Cisueseranis provinciis cum primis benè meriti existimantur; nec non afficio quemque eorum sua laude, non solum, ne quis præmio fraudetur, sed etiam, ut cum alii de illis æmulandis potius cogitent, quàm novam, peregrinam, & falsam institutionis formam ad nos inferant, tum qui primæ ætati moderatores auctoritate publica præficiunt, illiusmodi viros inveniant, qui non deflectant à veterum vestigiis. Non enim existimandum est, novatores aliquid melius attulisse, quos illi cunque novos Parnassos somnient.

Ἰωάν. Κασήλιος.

CLA-

CLARISSIMO & DOCTISSIMO VIRO

IOANNI RECCIO,

Imperialis Reipublicæ Goslariensis Consuli amplissimo,

S. D.

IOAN. CASELIUS.

OStenderam familiaribus ante menses aliquot, me certo argumento ad te scripturum, ubi essem nactus pluscum otii. Eam illi lucubratiunculam flagitare magis cœperunt, quàm tu fortè desiderares in istis occupationibus. Neque tamen non ea libenter leges, quibus tibi præter alia, abs re non futura, prædicabo bonitatem ludi vestri litterarii. Noram ego pridem educationem teneræ ætatis apud vos rectè administrari, quod, cùm ante biennium tumultu circa hoc oppidum orto istuc excurrissem, & plurium relatu cognovi, & ipse vidi: neque non eodem tempore & in hujusmodi sermones incidimus, quos neque à tua dignitate alienos duceres, & ego meo instituto congruere judicarem. Nam & principis reipublicæ est, hoc negotium intelligere, & cum cæteris pro-

curare sedulò, & omni diligentia, gubernantem præsentia, & prospicientem alteri sæculo: qui autem serio studio sapientiæ occupamur, eam partem, qua primum ingenia ad aliquam cognitionem & ad bonos mores informantur, negligere aut præterire nullo modo possumus: secus absurdè in vita nos geramus. Naturâ namque satio antecedit segetes.

Ego ex quo vitæ humanæ gustum habui, & quæ qualisque esset, & quomodo, quoque fine degenda, cognovi, nihil habui antiquius, quàm ut à me exorsus, de propriorum primum, ac deinceps aliorum, in quibus notam boni deprehenderem, correctione non curiosam curam agerem. Intenta enim sive in privati bonum, sive ad publicam salutem cogitatio, sive hoc studium, curiositati affine nihil habet. Liceat mihi ad te aperire affectum animi mei: ego si quid in primæ ætatis educatione, ea præsertim, cui simul adhibentur litteræ, intelligam & possim, patior quidem me moneri, rogari non patior neque me nemini offero: neque tamen me obtrudere cuiquam videri velim: occasione autem declarandæ hujusmodi benevolentiæ uti in-

ter-

terdum soleo: nec esse hoc à me alienum arbitror, quod nec auctoritate regum, ne sapientum dicam, quorum qui hoc munus negligat, suæ dignitatis oblitus videatur. Vult enim & debet esse in utroque primum, ut semetipsum virtute perficiat & scientia, tum ut ad decus & suos, & quos possit præterea, erudiat. Non potest ferè unquam ad eam rem animadvertenti deesse occasio: quæ tamen interdum sese major ostendit, & mihi sæpius nascebatur superiore anno magistratum gerenti.

Cum enim primùm initiati sacris Musarum mihi nomina ferè quotidie de more darent, ipsi simul, unde essent, referebant ultrò, ego, ubi didicissent, quærebam: interdum nonnihil progressus, ut essent eruditi, & à quibus magistris, inquirebam. Institutionem quidem, quæ vera sit, uniformem, aut non nimis esse discrepantem oportet: at ego deprehendi aliud alios sequi. Sunt qui suæ fidei creditos temerè erudiant, quòd ipsi ad certum modum eruditi non fuerunt: pauci recta educationis via insistunt: plerique, plures certè quàm velim, & expediat, illi novationi student, quæ ante annos plus minus sexaginta ine-

ptè excogitata & petulanter introducta, multis elegantibus ingeniis fraudi fuit, ut cùm ad veram frugem non venirent, se arcem sapientiæ tenere tamen arbitrarentur. In clarissima & sapientissima academiarum Europæ id mali natum, Te non fugit, unde cum communi suffragio doctissimorum hominum, & auctoritate summa exterminaretur; fama illius novæ sapientiæ ne Alpes quidem transiit: doleo ei iter patuisse in Germaniam. Haud scio, qui primi ex istis novatoribus alii aliò transierint, ingressi ludos pueriles initio, ubi facilè persuaderent adolescentulis, penes se esse fontes novæ sapientiæ & eloquentiæ: se compendia omnium scientiarum tenere & monstrare solos: nihil alios intelligere, obsoleta esse, & nulli usui monumenta veterum. Quæ est audacia, tentavere iidem academias, & cœpere sibi famam comparare. Ex quo malo hoc boni tamen natum, ut qui quæ de studio sapientiæ vix delibassent, traderent negligentius, rimarentur accuratius, quæ docerent, & juventutem in omnibus philosophiæ partibus, etiam in iis quæ ad scientias ducerent, non paulò rectiùs informarent. Successere doctio-

ctiores, qui illis inscitiæ imbribus dissipatis, solem scientiæ reducerent: jamque adeò apud nos adolescentes ineptias rident, & refutant absque negotio: nugarum magistri in publicum non prodeunt, etsi fortè in angulis ad stupidiores mussitant. Utinam proximum flumen non transiissent: utinam Transveserani superioris sæculi popularium vestigiis non excessissent: nec ipsi suam juventutem, nec nostram in hunc errorem induxissent: quam inscitiam rectius dixeris. Opinio enim sapientiæ magnus error est, nec inscitia simplex, sed quædam deterioris generis. Ex hac autem quantum erumpat in vitæ consuetudinem mali, & attigi aliquando, nec paullò disertius explicabo, cum, quæ satis diu meditatus sum, de emendandis ludis litterariis, litteris mandabo, si fortè bonis rationibus auctoritatem excitare queam ad retundendam inscitiam arrogantis inscitiæ magistrorum: & vindicandam rectam in litteris virtuti non minus, quàm doctrinæ destinatis educationem.

Neminem autem ferè fugit, per quos huc derivata sint, quæ rectè improbamus, quod partim falsa, partim imperfecta sunt, par-

partim inepta, nullique prorsus usui. Cujusmodi enim litteras adprehendissent vel aliunde vel domi, tales huc transtulerunt. Neque enim vel hoc obscurum est, & absque contumelia dici potest, quod ab illis etiam ipsis ante annos centum celebratum fuisse inficiari nemo potest, (sunt enim monumenta in manibus lepida & falsa) ex gente populosa, quam patria omnem capere posse vix videatur, transire quotannis in has citeriores regiones non ad Albim solum, sed & ad mare Balthicum, ex humilioribus plures, nec nullos ex litteratis, fortunas sibi & sedes quæsitum. Cum enim & ingeniosi sint multi, & parati ad honesta obsequia, & laborum tolerantes & industrii, facile sibi benevolentiam apud nos bonis artibus inveniunt, & absque invidia tuentur honestum inter nostros locum, quorum porro elucet fides & integritas. Mihi de aliis ad differendum caussæ nil, qui habent censores neminem non ex populo. Omnes enim hæc & satis intelligunt, & rectè existimant. Vide, rectenè judicem de his, qui secum doctrinæ aliquid adferunt: quorum ego habeo, quos ab altero & hoc sæculo benè de nostra juventute

tute meritos proferam, & memoriæ prodam, si quid ego hac in re posse videar.

Ab annis circiter centum & quinquaginta è Græcia in Italiam illatis denuo Græcis litteris, & earum, & Latinarum particeps paulatim cæpit fieri Germania, atque eodem tempore respexere orbis Christiani provincias præcipuas plerasque Musæ, sic ut litteræ passim colerentur, non solum pauci sermone quodam Latino de rebus abditis mussarent, sive dissererent. Illorum, qui pauci tamen & obscuri erant, sapientiam non reprehenderim, de qua plurimum etiam participare desiderem: aio ex illo sæculo lucem ortam humanitatis pluribus populis, & fulsisse latius bono generis mortalium. Non est epistolæ recensere & prædicare illorum sæculorum magistros. Erant mediocri eruditione & singulari probitate, & multi in his, quas antè dixi, regionibus, & ex nostra vicinia veniebant alii, quorum partim in longinquioribus, partim in Saxonicis academiis ita didicerant, ut si non toti tenerent arcem sapientiæ; quod quotocuique omnibus sæculis obtigit? certe ad probitatem in litteris rectè & fideliter erudirent harum urbium pueritiam.

tiam. Relinquam etiam noſtros, qui fuere plures: referam tibi doctos & probos hoſpites, & quos nobis pueris adultiores prædicabant, & quos ipſe quinquaginta & amplius annis mihi probè cognitos obſervavi. Benevolentia enim & honore dignos cenſeo, qui benè de juventute merentur: nec ſto judicio, dignitatis popularis expertes, & tenuiores ſuperbè præ ſe contemnentium: quod vulgus facere, nec novum eſt, nec mirum: quippe plærique mortalium, de rebus parum intelligunt, & perperam ſentiunt: nec novum, nec mirum alterum, idem fieri à nonnullis, qui eruditionem, ſibi utilem, ſecuti, ſpecie ejus contenti, non niſi ad honores contendunt, & ad divitias. Nec vero erraverimus, ſi & hos in vulgo relinquamus: cujus & opiniones plærasque retinent, ſed hoc pejus, quòd & eundem vitæ modum ſervant, nec præfixum ſibi nobiliorem finem habent. Intelliges autem ex iis, quæ referam, me rectè ſentire, & hoſpitem odiſſe neminem, quòd hoſpes, certoque loco ſit oriundus. Malè ſanus ſit, qui ita ſentiat, nec ſanè dignus, qui in ultimis ſubſelliis ſententiam ferat. Ego quanti fe-

ti fecerim ex ea gente viros, bonis litteris & integritate præditos, ostendam tibi recensione quorundam & prædicatione, qui mea ætate sive memoria de juventute & litteris cis Visurgim ad littus usque Balticum præclarè mihi visi fuerunt meriti. *Et ipse Westphalos, viros doctissimos noveram sanè multos, & celebrari à bonis audieram plures:* è quibus erant præcipui & memoriæ consecrandi, si quis scribendo tantum valeat, Tulichius, Rivius, Burenius, Glandorpius, Arsenius, Dabercusius, Bocerus, Rolevincius, Lenicerus, Orestes, Pollius, Reineccius: *quos ego in litteris admodum probavi omnes, plerosque novi, cum pluribus non vulgarem, cum uno atque altero singularem amicitiam colui, uni atque alteri fui carissimus.*

Vix attigeram litteras puer, cum vidi & legere cœpi HERMANNI TULICHII libellos, quos ex Quintiliano, nisi me memoria fallit, & ex aliis prisci sæculi, puerili educationi confecerat, in ludo Lunæburgensi, quem regebat. Namque ea civitas, cùm optimatum consilio regeretur; maturè consuluit educationi civium: quod prudentis senatus magnum argumentum pu-

tan-

tandum est. Vidi ejusdem versus, quibus teneram ætatem alliceret ad Latinas Græcasque litteras, & ad morum probitatem: quæ cùm viderem, uti dixi, puer, videbar mihi virum videre, & ab ipso quoque erudiri: ac certè erudiebar. Audivi adultior ex aliis, qua fide & industria munus suum gesserit: quod cùm fuisset illic agnitum, ad fores gymnasii fortè non longè ab ipsius tumulo Phaleucium parieti insculptum fuit, quod & te prætereuntem legisse suspicor. Ille vel primus, vel cum primis primam ætatem illius loci rectè erudiit: quam rationem à successoribus servatam semper intelligo: aliquid addidisse etiam, ubi id bono pueritiæ fieret.

Paucis autem annis abhinc ALBERTVS LENICERVS, vir doctus & gravis, æque industrius, & illius pulveris patiens, quid in erudienda adolescentia sequeretur, mihi illac transeunti diligenter exposuit: alterius linguæ negotium doctissimo collegæ demandarat, ipse adolescentes in Latina exercebat totos dies: typis edebat, quæ interpretaretur, aliquando notis adjunctis: non ita aberrabat, ut philosophos se fingere diceret ante annos: artes, ut vulgo loquimur, dicen-

dicendi deguſtari à puberibus volebat, & ad lectionem monumentorum vetuſtatis invitabat: nec verò hoc fruſtra: in ſermone familiari nominem multos, quos ille ad fores & in templa Muſarum duxiſſe rectè perhibeatur: adeoque, ut & antè dixi, ſervatur hodie in illa laudatiſſima civitate ratio eadem erudiendæ primæ pueritiæ.

IOANNES autem RIVIVS, quantus artifex hujus rei fuerit, etiam in hunc diem loquitur Miſnia, & ipſius libri teſtantur eruditè ſcripti: dedit operam, ut quemadmodum ipſe purè ſcriberet, idem conarentur tam bonæ diſciplinæ alumni: cumque in eadem ſchola eſſent, qui hoc negligerent (narravit id olim mihi ſocer meus, Vir Cl. Andreas Mylius,) orta fuit inter adoleſcentes, uti fit, contentio, deinde æmulatio: hæc manſit, & ferri poteſt: illam auctoritate magiſtratus tolli oportuit, ſicut ejiceretur inſcitia, & barbaries gemens loco cederet. Dignum viro erudito fecit, qui emendatione comœdiarum Terentii operam perutilem & doctis ubique gentium probatam præſtitit. Quare multo etiam plures ex ipſius ludo docti & diſerti viri prodierunt.

Ex his erat MARCVS DABERCVSIVS, à na-

tura quoque factus ad erudiendam pueritiam in utraque lingua & initiis cæteris liberalis doctrinæ. Cùm enim dux Megap. Ioannes Albertus, εὐεργέτης meus, academiam Rostochiensem nutantem resuscitaret, ut alibi longa & vera narratione à me expositum est, non solum per omnem provinciam ludorum puerilium rationem haberi jussit, sed primarium quendam ipse suo sumptu Sverini condidit, ex quo in academiam cultiores adscenderent. Auctor fuerat & hujus consilii, & accersendi è Misnia Dabercusii, socer, quem supra dixi, meus. Ita feliciter cessit hoc negotium, ut non solum pueri nobiles & fortunati, & tenues è provincia, sed ex longinquioribus etiam locis, & è Borussia, & è Polonia accurrerent, nec inanes domum reverterentur. Ita totus erat amicus ille meus in studio rectè informandæ pueritiæ, ut ne minimum quidem prætereundum duceret: sic ordine ad majora feliciter transiri, rectè omnino indicabat. Fidei enim suæ esse non putabat, summa polliceri, ubi de imis, sive principiis nihil solidi appareret: sanè scriptum reliquit & publicavit, quemadmodum adolescentuli solidam principiorum

orum utriusque linguæ cognitionem adipiſcantur : nec aberravit; neceſſarium ratus, omnia perſequi, vel minutiſſimum quodque. Quæ ſuperſtitio fortè in docendo, non perinde in exigendo penſo obſervanda videatur.

Cœterùm de tribus, quorum conſvetudine Roſtochii uſus fui, Te non penitus latet, quando paulò pòſt illic apud nos liberalibus diſciplinis, ac demum etiam ſcientiæ legum operam dediſti. Colui autem amicitiam cum IOANNE BOCERO, ad Varnum, non minus, quàm antè ad Albim & ad Viadrum: *quem ego non doctum ſolum, ſed & integrum, & rectè ſentientem de educatione in litteris cognoveram.* Interpretabatur ſplendidè poëtas, idque ad veterum rationem, quam ſolam eſſe veram judicabat, in nova ineſſe futilem oſtentationem, nihil ſolidæ eruditionis ſæpè clamitans. Sed & reliquit ingenii monumenta, cum alia, tum elegias, quibus reges Daniæ deſcripſit, facilii, nec inculto carmine.

De ARNOLDO BVRENIO plura cognovetis, quòd tum recente viri memoria, ore omnium in formandis ingeniis & in dicendo exercendis ejus induſtria prædicabatur.

Accedit, quòd ipsius laudationem scripsit Nathan Chytræus, gravis cumprimis & doctus vir. Et ipse verò etiam Burenium passim, quoties occasio ad eam rem fuit, laudavi, quo juvenis primum ex Italia rediens, amico, sene admodum, tum quoque non solum ob ætatem, sed potius ob afflictam valetudinem emerito, in alterum annum usus fueram. Cœtera non sunt hujus loci: ille postquam ducis Henrici, qui Pacifici nomen ab iratis militibus meruerat, filium Magnum Suerinensem episcopum, præclarè erudierat, & ad regiam virtutem, quæ est justitia, conjuncta cum beneficentia; *bono academiæ Megapolitanæ Rostochium venerat, & si quid ego illius temporis notitiæ habeo, & judicio ipsius rei valeo, collapsam industria & præclara eruditione unus & primus cæpit erigere. Egit enim, relictis rebus, magno studio, ut auditores saperent, & virtutem colerent, & iis potissimum magistris uterentur, qui ad informationem animi simul & linguæ rectè ducerent.* Itaque & principem philosophum, & parentem Latinæ eloquentiæ, disciplinæ suæ alumnos jubebat habere in manibus, non qui quenquam à cæteris arceret, sed

ex

ex his petenda principia, conſtanter aſſeveraret. Addebat enim hoc, eſſe Arcadici gregis, qui ſecus judicarent. Illo autem ſuo conſilio, & hac ſua voce, vulgo eruditorum intolerabili, ita commovit vir doctiſſimus inſcientiam, ut quidam, non malitiosè minus, quàm temerè humaniſſimum ſenem in ſuſpicionem prophanitatis adduxerint: quod per ſe etiam impium factum eſt: etſi familiares eum in lectione ſacrorum eſſe quotidiè viderent, ita ut quosdam ejus generis libros attriverit legendo: unde de ipſius pietate dextrè opinari par erat, nec calumniari, quod ſingularem etiam laudem mereatur. Sed talem plærique reportant gratiam, qui in excolendis ingeniis & propagandis liberalibus diſciplinis operam ponunt impenſius.

Eodem tempore, eodem loco vivebat HENRICVS ARSENIVS, *vitæ religioſæ addictus, illi fortè in iis, de quibus dixi, non par omnino, nec multo tamen inferior, in quodam ſuperior haberi poterat.* Sæpe autem mecum in hortis, quos colebat, de maximis hujus ſæculi contentionibus contulit, quas deplorare quilibet, emendare poteſt nemo. Hoc enim non eſt noſtræ condi-

tionis, qui de plebecula vel de populo censemur vulgi suffragiis, sed conjunctæ cum sapientia potentiæ. Vnum idque singulare de hoc viro referam, & memorabile: quòd in ista vita otiosa nunquam vacabat à lectione Græcorum veteris ecclesiæ; hoc & ipse vidi, & testantur libri unus & alter, quos habeo ab hæredibus.

Nec minorem laudem cæteris meretur VVERNERVS ROLEVINCIVS, vir non minus Græcis, quàm Latinis litteris præclarè eruditus, disertus admodum, & veteris philosophiæ assertor perpetuus, uti eum ego quoque cognovi. Qua ille disciplina gymnasium Hamburgense administratum acceperat, eam & ipse observavit, quòd melior nulla esset: abductiones autem à veteri vera regula è manibus adolescentum excutiebat, & si quos pertinaciter illis inhærere animadverteret, eorum rationem habendam sibi non putabat, non solum, quòd supra magistrum vellent sapere, sed magis, ne condiscipulos inficerent. Namque in novissima quæque omnes inhiant, & scioli cupidè propinant æqualibus de sua inscitia.

Cæte-

Cæterum in hac recensione, auctoritatem Tuam secutus, fide Tua proximo loco ponam BERNHARDUM ORESTEM. Sed & Martinus Baremius, & Auctor Hustethus, testes sunt bonitatis ipsius disciplinæ: quorum similes ex hujus ludo prodiisse plures audio: qui quanquam non nisi annis quinque rem litterariam Brunsuigæ in primo gymnasio administrans, plurimum tamen præstitit; præ omnibus veram laudem diligentiæ & constantiæ laborum meruit. Etenim etiam cum adversa valetudine jam graviter conflictans, nihil remittendum sibi putavit de perpetua cura, nihil fere sibi à quotidianis operis temperans. Rectè me de Oreste monuisti, quem omisisse videri possem non absque injuria, singulare exemplum doctrinæ, fidei & laborum tolerantiæ.

Hujus erat persimilis, sed annis minor, PHILIPPUS POLLIUS. Cùm enim præsul Eberhardus. Hollanæ gentis decus, annis abhinc circiter triginta ludum litterarium Verdæ ad Allarim conderet: ei præficiebat optimum pueritiæ magistrum Detlevum Rascium, oriundum ex hac ripa Visurgis.

Hic trans flumen natum sibi in litterario hoc munere allegit Pollium: utrumque æque prædicant grati discipuli, meque in familiari sermone monuerunt de hoc juvene, quem tamen ipse noveram, & ultrò in hanc classem referre debueram. In eo autem vitæ genere cùm natura ferretur ad poëticen, nec inconditos versus interdum pangeret, ad lectionem poëtarum se potissimum contulerat, & veteres bona ratione ad utilitatem juventutis interpretari noverat: quod non multi student, assequuntur pauci. In bonis, quæ sæpe minima putantur, quia maximum usum habent, in minimis censeri minus debere dixerim, in quibus est καλλιγραφία. Cujus si ego particeps essem, nec unquam ferè aliena manu uterer, & crebrior essem in scribendo, & interdum tangerem, quæ unum scire velim, ignorare cæteros. Ille non tam monstrando, quàm exemplo, pueros ad elegantiam characterum alliciebat, ut scriptura non minus adolescentes, quàm latinitate eruditi inde prodirent. Quòd eodem nihil integrius, exponit sæpe Rascius: & ipse testor fuisse officii plenum. Namque non so-

ſolum in iis, qui magna tractant, ſed & in cujuscunque conditionis hominibus, & ſunt, & requiruntur partes officii.

In hac autem Academia incidi in REINERVM REINECCIVM, de quo viro quid ſentirem, ſcriptis olim ad ipſum litteris teſtatum feceram: poſtquàm huc veni, judicio me non aberraſſe deprehendi, proinde ex ipſius obitu, quantam hiſtoria jacturam, tantum ipſe quoque dolorem accepi: atque hoc majorem, quòd homo erat absque fuco. Quod ego minus miror, quoniam prodierat ex optima diſciplina.

Etenim magiſtrum habuerat IOANNEM GLANDORPIVM, quem conſilio mihi in hunc locum reſervavi. Ipſum non noveram, ſed vidi ſemel apud Melanchthonem. Hunc enim tum obſervabant viri docti, cujus etiam memoria mihi hodie ſancta eſt, & mei ſimilibus. Non ſolum enim illa tempora, ſed hæc quoque debent lucem elegantis bonæ doctrinæ Melanchthoni in his regionibus, ad ſeptentrionem vergentibus. De Glandorpio pluribus agam, tum, quòd fuit à me recenſitorum popularium à Burenio, cui primas jure tribuo, ſecundus;

una etiam re illo superior, quòd plura monumenta ingenii reliquit non solum, quòd erudiendæ primæ ætatis veram rationem princeps ad vos attulit. Fuit omnino vir magni ingenii, animi non abjecti, diligentiæ incredibilis, judicii dextri. Apparet ex omnibus, fuisse ipsi propositum, ut ornaret rem litterariam, & rectè educaret pueritiam, non ad opinionem aut umbram aliquam doctrinæ. In illo profecit multum, in hoc profecisset haud minus, si per arrogantem inscitiam ipsi licuisset. Perpetuum enim ferè est, ut quæ qui non didicerunt, non ferant, quamvis meliora, & elidant bonos magistros, ne quid de auctoritate sua jacturæ faciant. Iacerent enim, si minores aliquid solidæ eruditionis consequerentur. Noster autem, (nostrum dico, qui bonarum partium semper fuerit in hoc negotio) quos utriusque linguæ scriptores non legit? atque ego de optimis loquor. ipse plurimum operæ præ aliis posuisse refert in Tullio, Livio, & Cæsare. Hunc verò cùm non minoris faceret, quàm censor scriptorum solertissimus & æquissimus Scaliger pater, suum de summo scriptore judicium

cium docto & polito carmine exposuit, ac præterea notis pereruditis omnes commentarios illustravit: è quibus & alterum videre licet, quanta cum diligentia quidquid est historicorum pervolverit. In quibus cum esset, qui fuit ipsius diurnus & nocturnus, & plurium annorum labor, cum alia memorabilia annotavit, tum Romanas familias observavit, ex quorum vera constitutione plurimum lucis historiæ accedere rectè judicabat. Etsi autem præter unam & fortè alteram familiarum nulla extat, tamen plerasque & observasse, & in ordinem redegisse, scriptori fides cur non habeatur? cum unus idemque labor ille fuerit: perficere autem, per ætatem quidem potuisse puto, per fortunæ iniquitatem non potuit, nisi quorundam inscitiam obstitisse egregiis viri conatibus censeamus, quæ mea est non temerè suscepta suspicio. Cum ferè ad finem perduxisset gentem Iuliam *decessit in patria:* quam ego partem, & cæteras reliquias periisse sive surreptas sanè doleo. Gentem Antoniam cum perfecisset, ad vos misit, gratum haud dubiè amplissimo ordini vestro munus, uti per se splendidum,

&

& historiæ Romanæ lectori utile est: atque hic viri labor in perpetuum serviet rei litterariæ. Non sinent enim Musæ tam accuratè factum eleganterque perfectum opusculum umquam aboleri. Cum primo *gymnasio Brunsvigensi præesset*, fuit, ut audio, qui, quæ hic rectissimè tradi juberet, non ratione bona, sed imperio intempestivo mutanda decerneret: sed ille impatiens tam iniquæ servitutis abiit potius, quàm se inscitiæ subjiceret, homo tanta eruditione, qui in prima quoque orbis academia humaniores litteras cum juventutis fructu maximo, & summa cum laude sua profiteretur. Turpe est, nec flagitio caret, si calones, quibus in impedimentis locus est, instructionem aciei & imperatoris munus sibi vindicent. Hujus Glandorpii ad vos adventu vestræ civitatis ludum litterarium sive emendatum, sive primum constitutum, nec ipse dubito, & quisque vestrum cognovit rectius. Quam autem formam in docendis litteris secutus sit, ex ipsius studiis innotescit. Procul absuit, cum ab aliis non satis eruditorum aberrationibus, tum à novitiorum ineptiis, sive absurditates dicas: quæ

ma-

maturioris ætatis erant, & propria academiarum, pueris inculcari aut occini vetabat. Qui ſermonem intelligerent, qui ſcriptores legerent, eos in ſcribendo exercebat, ad hiſtoriam alliciebat, deguſtare, quæ capere poſſent, de liberalibus diſciplinis ſinebat, perfectiora ab aliis magiſtris capere jubebat. In his autem rebus, quos unius gentis artifices erudiendæ in litteris pueritiæ, rectè laudavi, conſenſere, etſi alius præſtabat alii in eadem diſciplina. Horum ſi ſimiles in noſtras regiones undecunque tranſeant; & utiles erunt & grati hoſpites, qui ab his diverſa important, ſatius quovis gentium ſe convertant, quam noſtram pueritiam per quaſdam partim frivolas, partim noxias nugas, opinione eloquentiæ & ſapientiæ imbuant. In frivolis habeo, quæ cum temporis nòn parum auferant, nulli deinceps ſint uſui: noxia ſunt, quæ aditum ad veterum ſapientiam intercludunt. Hoc autem fit utroque modo, & quando qui ſe putant ſapere, & quando, primis gradibus exemptis, adſcendere altius nituntur fruſtra. Pauci enim ſeſe ab initio totos retexunt: quod qui faciant, eorum ore talium

ma-

magiſtrorum laudes decantari audias. Hos ego magiſtros, nec queam, nec amare debeo, ſi iidem maneant, hoc eſt, opiniones ſuas mordicus teneant, & inſtillent aliis: alteros, undecunque illi ſint magnifacio & prædico.

Sed qua gratia hæc cœpi ſcribere, ad id redeo. Veſtræ ſcholæ incommodè judico factum, dimiſſo & iſtinc Glandorpio. Quisquis hoc egit, tam malè de veſtra illius ætatis pueritia meruit, quàm qui eum accerſivit, meruerat benè, quod optimè factum fuerat meo judicio. Neque tamen ipſius diſciplinæ veſtigia atque exempla relicta apud vos fuiſſe, ſic rationem ineo, quòd ab eo tempore rectè fuere educati iſtic civium filii, & eorum condiſcipuli.

In hoc cum non minorem operam, RECCI, & æquè felicem navares civibus Tuis, patria Te ex illo perhoneſto loco in altiorem gradum civitatis ſuſtulit. Patres enim Te in ſenatum legerunt, & brevi interjecto ſpatio Conſulem deſignarunt: Tu

verò

verò ex eo tempore non minus Tibi curæ habuisti educationem juventutis, quàm gravissima illustris vestræ reip. negotia. Tua enim potissimum cura effectum est, ut Baremius, Græcis litteris ita præclarè, uti Latinis præditus, Brunsviga accerseretur. Eum ego tum mirabar dimitti, facta permutatione, cujus mirum, ni auctores interea pœnituerit. Baremius enim & Husthethus, cives ipsi, teneram patriæ pubem erudierant litteris, ut à nemine rectius & majore fide fieri potuerit. Verùm in omni genere usu venit, ut quæ bona, aut mediocria sunt, æquis oculis non adspiciamus, donec deteriora successerint.

Baremio apud vos ad sacra vocato, munus istud gerit Nendorphius: quod cum susciperet, hortabar familiarem; caveret, ne juvenis doctissimus & poëta cultissimus antecessorum quopiam videretur inferior: eniteretur etiam æquare præceptorem Rascium, quem & in hac epistola & sæpe aliàs laudavi hac de caussa. Misit autem Rascius rectà in academias è ludo suo adolescentes sanè multos, & omnes capaces uberioris do-

tandum est. Vidi ejusdem versus, quibus teneram ætatem alliceret ad Latinas Græcasque litteras, & ad morum probitatem: quæ cùm viderem, uti dixi, puer, videbar mihi virum videre, & ab ipso quoque erudiri: ac certè erudiebar. Audivi adultior ex aliis, qua fide & industria munus suum gesserit: quod cùm fuisset illic agnitum, ad fores gymnasii fortè non longè ab ipsius tumulo Phaleucium parieti insculptum fuit, quod & te prætereuntem legisse suspicor. Ille vel primus, vel cum primis primam ætatem illius loci rectè erudiit: quam rationem à successoribus servatam semper intelligo: aliquid addidisse etiam, ubi id bono pueritiæ fieret.

Paucis autem annis abhinc ALBERTVS LENICERVS, vir doctus & gravis, æque industrius, & illius pulveris patiens, quid in erudienda adolescentia sequeretur, mihi illac transeunti diligenter exposuit: alterius linguæ negotium doctissimo collegæ demandarat, ipse adolescentes in Latina exercebat totos dies: typis edebat, quæ interpretaretur, aliquando notis adjunctis: non ita aberrabat, ut philosophos se fingere diceret ante annos: artes, ut vulgo loquimur,

dicen-

dicendi deguſtari à puberibus volebat, & ad lectionem monumentorum vetuſtatis invitabat: nec verò hoc fruſtra: in ſermone familiari nominem multos, quos ille ad fores & in templa Muſarum duxiſſe rectè perhibeatur: adeoque, ut & antè dixi, ſervatur hodie in illa laudatiſſima civitate ratio eadem erudiendæ primæ pueritiæ.

IOANNES autem RIVIVS, quantus artifex hujus rei fuerit, etiam in hunc diem loquitur Miſnia, & ipſius libri teſtantur eruditè ſcripti: dedit operam, ut quemadmodum ipſe purè ſcriberet, idem conarentur tam bonæ diſciplinæ alumni: cumque in eadem ſchola eſſent, qui hoc negligerent (narravit id olim mihi ſocer meus, Vir Cl. Andreas Mylius,) orta fuit inter adoleſcentes, uti fit, contentio, deinde æmulatio: hæc manſit, & ferri poteſt: illam auctoritate magiſtratus tolli oportuit, ſicut ejiceretur inſcitia, & barbaries gemens loco cederet. Dignum viro erudito fecit, qui emendatione comœdiarum Terentii operam perutilem & doctis ubique gentium probatam præſtitit. Quare multo etiam plures ex ipſius ludo docti & diſerti viri prodierunt.

Ex his erat MARCVS DABERCVSIVS, à na-

tura quoque factus ad erudiendam pueritiam in utraque lingua & initiis cæteris liberalis doctrinæ. Cùm enim dux Megap. Ioannes Albertus, ἐυεϱγέτης meus, academiam Rostochiensem nutantem resuscitaret, ut alibi longa & vera narratione à me expositum est, non solum per omnem provinciam ludorum puerilium rationem haberi jussit, sed primarium quendam ipse suo sumptu Sverini condidit, ex quo in academiam cultiores adscenderent. Auctor fuerat & hujus consilii, & accersendi è Misnia Dabercusii, socer, quem supra dixi, meus. Ita feliciter cessit hoc negotium, ut non solum pueri nobiles & fortunati, & tenues è provincia, sed ex longinquioribus etiam locis, & è Borussia, & è Polonia accurrerent, nec inanes domum reverterentur. Ita totus erat amicus ille meus in studio rectè informandæ pueritiæ, ut ne minimum quidem prætereundum duceret: sic ordine ad majora feliciter transiri, rectè omnino indicabat. Fidei enim suæ esse non putabat, summa polliceri, ubi de imis, sive principiis nihil solidi appareret: sanè scriptum reliquit & publicavit, quemadmodum adolescentuli solidam principi-

orum

orum utriusque linguæ cognitionem adipiſcantur: nec aberravit; neceſſarium ratus, omnia perſequi, vel minutiſſimum quodque. Quæ ſuperſtitio fortè in docendo, non perinde in exigendo penſo obſervanda videatur.

Cœterùm de tribus, quorum conſvetudine Roſtochii uſus fui, Te non penitus látet, quando paulò pôſt illic apud nos liberalibus diſciplinis, ac demum etiam ſcientiæ legum operam dediſti. Colui àutem amicitiam cum IOANNE BOCERO, ad Varnum non minus, quàm antè ad Albim & ad Viadrum: *quem ego non doctum ſolum, ſed & integrum, & rectè ſentientem de educatione in litteris cognoveram.* Interpretabatur ſplendidè poëtas, idque ad veterum rationem, quam ſolam eſſe veram judicabat, in nova ineſſe futilem oſtentationem, nihil ſolidæ eruditionis ſæpè clamitans. Sed & reliquit ingenii monumenta, cum alia, tum elegias, quibus reges Daniæ deſcripſit, facilii, nec inculto carmine.

De ARNOLDO BVRENIO plura cognoveris, quòd tum recente viri memoria, ore omnium in formandis ingeniis & in dicendo exercendis ejus induſtria prædicabatur.

Accedit, quòd ipſius laudationem ſcripſit Nathan Chytræus, gravis cumprimis & doctus vir. Et ipſe verò etiam Burenium passim, quoties occaſio ad eam rem fuit, laudavi, quo juvenis primum ex Italia rediens, amico, ſene admodum, tum quoque non ſolum ob ætatem, ſed potius ob afflictam valetudinem emerito, in alterum annum uſus fueram. Cætera non ſunt hujus loci: ille poſtquam ducis Henrici, qui Pacifici nomen ab iratis militibus meruerat, filium Magnum Suerinenſem epiſcopum, præclarè erudierat, & ad regiam virtutem, quæ eſt juſtitia, conjuncta cum beneficentia; *bono academiæ Megapolitanæ Roſtochium venerat, & ſi quid ego illius temporis notitiæ habeo, & judicio ipſius rei valeo, collapſam induſtria & præclara eruditione unus & primus cæpit erigere. Egit enim, relictis rebus, magno ſtudio, ut auditores ſaperent, & virtutem colerent, & iis potiſſimum magiſtris uterentur, qui ad informationem animi ſimul & linguæ rectè ducerent.* Itaque & principem philoſophum, & parentem Latinæ eloquentiæ, diſciplinæ ſuæ alumnos jubebat habere in manibus, non qui quenquam à cæteris arceret, ſed

ex

ex his petenda principia, constanter asseveraret. Addebat enim hoc, esse Arcadici gregis, qui secus judicarent. Illo autem suo consilio, & hac sua voce, vulgo eruditorum intolerabili, ita commovit vir doctissimus inscientiam, ut quidam, non malitiosè minus, quàm temerè humanissimum senem in suspicionem prophanitatis adduxerint: quod per se etiam impium factum est: etsi familiares eum in lectione sacrorum esse quotidiè viderent, ita ut quosdam ejus generis libros attriverit legendo: unde de ipsius pietate dextrè opinari par erat, nec calumniari, quod singularem etiam laudem mereatur. Sed talem plærique reportant gratiam, qui in excolendis ingeniis & propagandis liberalibus disciplinis operam ponunt impensius.

Eodem tempore, eodem loco vivebat HENRICVS ARSENIVS, *vitæ religiosæ addictus, illi fortè in iis, de quibus dixi, non par omnino, nec multo tamen inferior, in quodam superior haberi poterat.* Sæpe autem mecum in hortis, quos colebat, de maximis hujus sæculi contentionibus contulit, quas deplorare quilibet, emendare potest nemo. Hoc enim non est nostræ condi-

tionis, qui de plebecula vel de populo censemur vulgi suffragiis, sed conjunctæ cum sapientia potentiæ. Vnum idque singulare de hoc viro referam, & memorabile: quòd in ista vita otiosa nunquam vacabat à lectione Græcorum veteris ecclesiæ; hoc & ipse vidi, & testantur libri unus & alter, quos habeo ab hæredibus.

Nec minorem laudem cæteris meretur VVERNERVS ROLEVINCIVS, vir non minus Græcis, quàm Latinis litteris præclarè eruditus, disertus admodum, & veteris philosophiæ assertor perpetuus, uti eum ego quoque cognovi. Qua ille disciplina gymnasium Hamburgense administratum acceperat, eam & ipse observavit, quòd melior nulla esset: abductiones autem à veteri vera regula è manibus adolescentum excutiebat, & si quos pertinaciter illis inhærere animadverteret, eorum rationem habendam sibi non putabat, non solum, quòd supra magistrum vellent sapere, sed magis, ne condiscipulos inficerent. Namque in novissima quæque omnes inhiant, & scioli cupidè propinant æqualibus de sua inscitia.

Cæte-

Cæterum in hac recensione, auctoritatem Tuam secutus, fide Tua proximo loco ponam BERNHARDVM ORESTEM. Sed & Martinus Baremius, & Auctor Hustethus, testes sunt bonitatis ipsius disciplinæ: quorum similes ex hujus ludo prodiisse plures audio: qui quanquam non nisi annis quinque rem litterariam Brunsuigæ in primo gymnasio administrans, plurimum tamen præstitit; præ omnibus veram laudem diligentiæ & constantiæ laborum meruit. Etenim etiam cum adversa valetudine jam graviter conflictans, nihil remittendum sibi putavit de perpetua cura, nihil fere sibi à quotidianis operis temperans. Rectè me de Oreste monuisti, quem omisisse videri possem non absque injuria, singulare exemplum doctrinæ, fidei & laborum tolerantiæ.

Hujus erat persimilis, sed annis minor, PHILIPPVS POLLIVS. Cùm enim præsul Eberhardus. Hollanæ gentis decus, annis abhinc circiter triginta ludum litterarium Verdæ ad Allarim conderet: ei præficiebat optimum pueritiæ magistrum Detlevum Rascium, oriundum ex hac ripa Visurgis.

solum in iis, qui magna tractant, sed & in cujuscunque conditionis hominibus, & sunt, & requiruntur partes officii.

In hac autem Academia incidi in REINERUM REINECCIUM, de quo viro quid sentirem, scriptis olim ad ipsum litteris testatum feceram: postquam huc veni, judicio me non aberrasse deprehendi, proinde ex ipsius obitu, quantam historia jacturam, tantum ipse quoque dolorem accepi: atque hoc majorem, quòd homo erat absque fuco. Quod ego minus miror, quoniam prodierat ex optima disciplina.

Etenim magistrum habuerat IOANNEM GLANDORPIUM, quem consilio mihi in hunc locum reservavi. Ipsum non noveram, sed vidi semel apud Melanchthonem. Hunc enim tum observabant viri docti, cujus etiam memoria mihi hodie sancta est, & mei similibus. Non solum enim illa tempora, sed hæc quoque debent lucem elegantis bonæ doctrinæ Melanchthoni in his regionibus, ad septentrionem vergentibus. De Glandorpio pluribus agam, tum, quòd fuit à me recensitorum popularium à Burenio, cui primas jure tribuo, secundus;

una etiam re illo ſuperior, quòd plura monumenta ingenii reliquit non ſolum, quòd erudiendæ primæ ætatis veram rationem princeps ad vos attulit. Fuit omnino vir magni ingenii, animi non abjecti, diligentiæ incredibilis, judicii dextri. Apparet ex omnibus, fuiſſe ipſi propoſitum, ut ornaret rem litterariam, & rectè educaret pueritiam, non ad opinionem aut umbram aliquam doctrinæ. In illo profecit multum, in hoc profeciſſet haud minus, ſi per arrogantem inſcitiam ipſi licuiſſet. Perpetuum enim ferè eſt, ut quæ qui non didicerunt, non ferant, quamvis meliora, & elidant bonos magiſtros, ne quid de auctoritate ſua jacturæ faciant. Iacerent enim, ſi minores aliquid ſolidæ eruditionis conſequerentur. Noſter autem, (noſtrum dico, qui bonarum partium ſemper fuerit in hoc negotio) quos utriusque linguæ ſcriptores non legit? atque ego de optimis loquor. ipſe plurimum operæ præ aliis poſuiſſe refert in Tullio, Livio, & Cæſare. Hunc verò cùm non minoris faceret, quàm cenſor ſcriptorum ſolertiſſimus & æquiſſimus Scaliger pater, ſuum de ſummo ſcriptore judicium

cium docto & polito carmine expoſuit, ac præterea notis pereruditis omnes commentarios illuſtravit: è quibus & alterum videre licet, quanta cum diligentia quidquid eſt hiſtoricorum pervolverit. In quibus cum eſſet, qui fuit ipſius diurnus & nocturnus, & plurium annorum labor, cum alia memorabilia annotavit, tum Romanas familias obſervavit, ex quorum vera conſtitutione plurimum lucis hiſtoriæ accedere rectè judicabat. Etſi autem præter unam & fortè alteram familiarum nulla extat, tamen pleraſque & obſervaſſe, & in ordinem redegiſſe, ſcriptori fides cur non habeatur? cum unus idemque labor ille fuerit: perficere autem, per ætatem quidem potuiſſe puto, per fortunæ iniquitatem non potuit, niſi quorundam inſcitiam obſtitiſſe egregiis viri conatibus cenſeamus, quæ mea eſt non temerè ſuſcepta ſuſpicio. Cum ferè ad finem perduxiſſet gentem Iuliam *deceſſit in patria:* quam ego partem, & cæteras reliquias periiſſe ſive ſurreptas ſanè doleo. Gentem Antoniam cum perfeciſſet, ad vos miſit, gratum haud dubiè ampliſſimo ordini veſtro munus, uti per ſe ſplendidum,

&

& historiæ Romanæ lectori utile est: atque hic viri labor in perpetuum serviet rei litterariæ. Non sinent enim Musæ tam accuratè factum eleganterque perfectum opusculum umquam aboleri. Cum primo *gymnasio Brunsvigensi præesset*, fuit, ut audio, qui, quæ hic rectissimè tradi juberet, non ratione bona, sed imperio intempestivo mutanda decerneret: sed ille impatiens tam iniquæ servitutis abiit potius, quàm se inscitiæ subjiceret, homo tanta eruditione, qui in prima quoque orbis academia humaniores litteras cum juventutis fructu maximo, & summa cum laude sua profiteretur. Turpe est, nec flagitio caret, si calones, quibus in impedimentis locus est, instructionem aciei & imperatoris munus sibi vindicent. Hujus Glandorpii ad vos adventu vestræ civitatis ludum litterarium sive emendatum, sive primum constitutum, nec ipse dubito, & quisque vestrum cognovit rectius. Quam autem formam in docendis litteris secutus sit, ex ipsius studiis innotescit. Procul abfuit, cum ab aliis non satis eruditorum aberrationibus, tum à novitiorum ineptiis, sive absurditates dicas: quæ

ma-

maturioris ætatis erant, & propria academiarum, pueris inculcari aut occini vetabat. Qui sermonem intelligerent, qui scriptores legerent, eos in scribendo exercebat, ad historiam alliciebat, degustare, quæ capere possent, de liberalibus disciplinis sinebat, perfectiora ab aliis magistris capere jubebat. In his autem rebus, quos unius gentis artifices erudiendæ in litteris pueritiæ, rectè laudavi, consensere, etsi alius præstabat alii in eadem disciplina. Horum si similes in nostras regiones undecunque transeant; & utiles erunt & grati hospites, qui ab his diversa important, satius quovis gentium se convertant, quam nostram pueritiam per quasdam partim frivolas, partim noxias nugas, opinione eloquentiæ & sapientiæ imbuant. In frivolis habeo, quæ cum temporis non parum auferant, nulli deinceps sint usui: noxia sunt, quæ aditum ad veterum sapientiam intercludunt. Hoc autem fit utroque modo, & quando qui se putant sapere, & quando, primis gradibus exemptis, adscendere altius nituntur frustra. Pauci enim sese ab initio totos retexunt: quod qui faciant, eorum ore talium ma-

magiſtrorum laudes decantari audias. Hos ego magiſtros, nec queam, nec amare debeo, ſi iidem maneant, hoc eſt, opiniones ſuas mordicus teneant, & inſtillent aliis: alteros, undecunque illi ſint magnifacio & prædico.

Sed qua gratia hæc cœpi ſcribere, ad id redeo. Veſtræ ſcholæ incommodè judico factum, dimiſſo & iſtinc Glandorpio. Quisquis hoc egit, tam malè de veſtra illius ætatis pueritia meruit, quàm qui eum accerſivit, meruerat benè, quod optimè factum fuerat meo judicio. Neque tamen ipſius diſciplinæ veſtigia atque exempla relicta apud vos fuiſſe, ſic rationem ineo, quòd ab eo tempore rectè fuere educati iſtic civium filii, & eorum condiſcipuli.

In hoc cum non minorem operam, RECCI, & æquè felicem navares civibus Tuis, patria Te ex illo perhoneſto loco in altiorem gradum civitatis ſuſtulit. Patres enim Te in ſenatum legerunt, & brevi interjecto ſpatio Conſulem deſignarunt: Tu

verò

verò ex eo tempore non minus Tibi curæ habuisti educationem juventutis, quàm gravissima illustris vestræ reip. negotia. Tua enim potissimum cura effectum est, ut Baremius, Græcis litteris ita præclarè, uti Latinis præditus, Brunsviga accerseretur. Eum ego tum mirabar dimitti, facta permutatione, cujus mirum, ni auctores interea pœnituerit. Baremius enim & Hustethus, cives ipsi, teneram patriæ pubem erudierant litteris, ut à nemine rectius & majore fide fieri potuerit. Verùm in omni genere usu venit, ut quæ bona, aut mediocria sunt, æquis oculis non adspiciamus, donec deteriora successerint.

Baremio apud vos ad sacra vocato, munus istud gerit Nendorphius: quod cum susciperet, hortabar familiarem; caveret, ne juvenis doctissimus & poëta cultissimus antecessorum quopiam videretur inferior: eniteretur etiam æquare præceptorem Rascium, quem & in hac epistola & sæpe aliàs laudavi hac de caussa. Misit autem Rascius rectà in academias è ludo suo adolescentes sanè multos, & omnes capaces uberioris do-

doctrinæ, qui cum in diligentia pristina perseverarent justo tempore domum redierunt, vel venerunt ad alios, à quibus expetebantur, ornatissimi, non minus gravitate morum, quàm bonæ doctrinæ copia, uti erat consentaneum. Vtplurimum enim, quando benè se habent principia, proveniunt item cætera feliciter & maturè. Etsi verò ad imitandum in hoc genere magistrum se compararat Nendorphius: tamen & ipse didicerat optimam rationem erudiendæ pueritiæ; & peritiorum consilia exquirit etiamnum sedulo. Quare rectè gerit hoc munus, certè ad scopum collineat proximè. Non solum enim νεωτεριζόντων nugas repudiat, sed diligenter cavet, ne declinet à recta via in salebras aut aliena diverticula: non ostentat, neque declamationes grandes, neque disputationes subtiles, cum exerceat adolescentulos nihilominus: non obruit ingenia & memoriam primæ ætatis, quæ tamen non sinit obsolescere: non varietate lectionum mentes discentium distrahit, quibus tamen apponit quasi alimenti, quod satis est: non hæret in una pagella menses aliquot, nec facit acer-

acervos commentariorum, cum tamen inexplicatum nihil relinquat. Hæc & alia incommoda dum avertit, ſternit ad litteras viam & faciliorem & rectiorem: id quod bono cedit veſtris filiis, & veſtræ denique civitati. Verum enim eſt, quò meliores & doctiores ſint cives, hoc fore beatiorem rempublicam: ſaltem in quibus erunt virtus & conſilium, quæ ego abſque litteris integra & ſolida in nemine deprehendi, multa mala prævidebunt & à patria declinabunt: quæ ipſa non eſt parva felicitas, & beatioris vitæ pars aliqua dici non abſurdè poteſt.

Vide, Conſul prudentiſſime, quid mihi fuerit cauſſæ vobis gratulandi de recta educatione veſtrorum liberûm: peterem quoque & monerem, ut in ea tuenda, nec labori, nec ſumptui parceretis, niſi id pridem factum, compertum haberem, & fieri ex omnibus cognoſcerem: potius de hoc erga patriam, & quæ eſt, & quæ futura eſt, animo vobis itidem gratulabor. Intelligo quoque & gaudeo, vos in cenſura ingeniorum non minus probitatis, quàm acuminis ratione habita, tenuiorum apud vos filios liberaliter ſublevare, filiis fortunatio-

rum interdum aliquid decernere præmii, ut illi institutum queant persequi, hi magis inflammentur ad litteras. Vale. Helmæstad. ex acad. IVLIA Kalend. Septemb. CIƆ IƆ CV.

ADDENDVM.

IN epistola ad Consulem RECCIVM properando omisi GONIÆVM, quod erratum corrigo additione mei de viri doctrina & moribus veteris judicii. Has enim defuncto exequias sincere & ex animo feci.

MEMORIÆ NICOLAI GONIÆI.

Goniaden nobis dederat Transvesera tellus,
Altrix clara virûm, dextraque animoque valentum.
Ille etiam fama majorum, Martis alumnus,
Se dignum gessit puer, horrida bella secutus:
Quem tamen ex acie media in sua templa retraxit
Pallas, & à Musis Sophiæ decreta doceri
Jussit, ut ipse quibus mentem pectusque polisset,
Pergeret hinc iisdem teneram formare juventam.
Has igitur jussus partes non segnis obibat,
Thesaurosque etiam linguæ pandebat Hebrææ,

Qua

Qua sine nec Mosen, nec prisca oracula vatum
Quisquam intelligat, aut referet mysteria cœli.
Nicolao hæc vita fuit. Nam cætera sprevit,
Lætus sorte sua, nulli gravis, omnibus æquus.
Cultor amicitiæ sincerus, fingere quidquam
Nescius, haud celans, animo quod conditum haberet.
Res etiam duras toleravit pectore forti,
Conjugis occasum dilectæ, & fata Colossii,
(Vnus hic illius Germanus, avunculus esset
GONIADÆ natis, jam pro genitore, siq; illum
Ante patrem abstulerat paucis fera Parca diebus,
Hunc luctum ut Gedano interea vix fama tulisset)
Tabificos morbos & crurifragam sceletyrban;
Tertius ipse quibus pressum non liberat annus.
Semper enim meditatus erat mortalia secla,
In quibus ut priscos, sic me, te, vivere fas est,
Nec frustra indomito cruciari pectoris æstu:
Norat item sic velle patrem, cui fidere soli
Est pietas: huic se in morbis, huic funere in ipso
Se dedit. At vitæ largitor tollere vitam
Sic velit, ut reddat delectis gaudia cœli.

DIEM SVVM OBIIT ROSTOCHII
XVII. Kal. Decemb. MDLXXXIX.

II.
MARCI HASSAEI
ΕΠΑΙΝΕΤΙΚΟΝ
καὶ
ΜΝΗΜΟΝΕΥΤΙΚΟΝ
DNN. PRÆCEPTORUM,
&c.

GLoria Persæ Paulus celeberrima Tarsi
Divino quondam præcepit ab ore: memento
A quo te multum didicisse agnoscis; *in hisce*
Ἀυτοδίδακτος *habet verbis quod concoquat; ille*
Non meminisse sui potis est documenta Magistri:
Namque sibi proprio cudit concepta cerebro.
Mordicus illa tenens, licet haud sint congrua rectis:
Nec Præceptores maneat quæ gratia novit
Ille, placent tantum sua cui Commenta placere
Quæ putat æque aliis; præbet meliora Professis
Nec docile ingenium, facilem nec commodat aurem.
Non ità me juvit studiorum texere telam:
A viva didicisse fuit mihi voce voluptas,
Et Præceptores caros coluisse decenter:

Sunt

Sunt mihi, quos memori, Paulo monitore, per ævum,
Mente colam; memori nec tantum mente colentur,
Sed quoque vivaci Famæ prælustria Templo,
Sacrabit prælo Typus horum nomina pressus;
Quem non ambitio, quem non jactantia, tantis
Indulgere viris; pietas sed grata coëgit,
Quorum semper ego pendebam pronus ab ore,
Et cùm publicitus sacrosanctæ dogmata linguæ,
Et cùm privatim vigilanter Hebræa docerent.
Quà Schola Virgineæ feliciter eminet Urbis,
Quâ surgunt octo fulgente Lycea Colosso;
Queis commune dedit titulis Academia nomen,
Quorum ego me civem fateor lætorque receptum.
Sunt etiam plures, quas gloria prædicat, urbes,
In quibus Hebraicum studium mihi fecit amicos:
Sunt, quos scripta mihi devinxit Epistola pridem.
Non pauci, jucunda mihi Collatio quorum
Et lucrosa fuit, nunquam damnosa profectò.

Horum nunc seriem cunctorum texere pennâ
Nitar, & æternis illos intexere chartis
Aggrediar. Tu prima tuos mihi promito Phœbos
MAGDÆBURGA, tui qui quondam munia Ludi (Doctor
Sustinuit, SACCUM, celebri qui nomine
Audiit; accedat TRAGDORFFIUS, huncque secutus
Cui rorant verbis, ROLLNHAGIUS, ora disertis:
Ambo præstantes virtutibus, ambo Magistri.
Quattuor hic annos habuit me ludus alumnum,
In quo, quos dixi, sum Præceptoribus usus:
Dùm penes ingenuas artes sacra dogmata dextrè
Tractarent, inter simul hæc & Hebræa docerent,
Auditor, quorum præcepta ego sedulus hausi;
Quod meritò memori grataque hic mente recordor.
Dein præclara tuas adii VVITEBERGA columnas:
Auspicio hic celebrande mihi majore, GEORGI

MA-

MAIOR ades primus: CRUCIGER te pone sequatur:
Ordine succedat MYLIUS; BUGENHAGIUS adsit;
Illeque PEZELIUS, qui portat nomine Christum;
Omnes Theiologæ lampas radiosa Cathedræ
Doctores clari famâ volitante per orbem.
Balthica Phœbæos jàm mî ROSA redde Tribunos,
Qui tibi promeritis famam meruere perennem:
DAVIDA CHYTRÆUM primum celebrato Camœna,
Quippe immortali, dignum, quem laude celebres:
Proxima SIMONI PAULI, sua gloria cedat,
Voce Periclea qui fulmina mittere norat,
Et calamo Clariis poterat certare Deabus:
De quibus ambobus, quàm dicere pauca, tacere
Hic præstat; testantur ab iis, vulgata, reperta,
Lumina quanta Scholis fuerint Templisque columnæ:
Quorum ego nunc manes veneror cineresque beatos.
Hos sequitur LUCAS gentili nomine dictus

BAÇMEISTERUS, adhuc fruitur qui, munere Divûm,
Aurâ vitali, canis venerandus & annis,
Voce etiam & scriptis meritus benè, Clarus in orbe.
Nec tu mî numeris VVESLINGE, tacebere; nec vos
MARBACHIDÆ gemini, nec vos, GONIÆE, JACOBE
Bacmeisteriade, sileam; quos lucta Magistri
Aonii præsignis agri decoravit honore.
VVISMARIAM lassanda pedem nunc, Musa, moveto,
PERISTRUMque refer; mox inde profecta LUBECAM,
GUALTPERII memor esto mei; tibi Doctor uterque
Dicatur; dabit HAMBURGUM tibi, mercibus ampla
Urbs SCHELHAMMERUM decorandum laude Magistrum,
Canicie insignem, sacrato munere verbi
Divini emeritum in Petrina Ecclesia ibidem,
Cujus grata mea residet mihi mentio menti.
Hinc deflecte viam, quâ GRYPHISVVALDIA dives
Musarum domus Aonios exercet agones:

RUN-

RUNGIUS hic Præsul cum Gnato, nempe JACOBUS
Et FRIDERICUS erit, Patris successor, uterque
Egregius Doctor, quos dudum gloria nullo
Tempore flaccescens radiantibus intulit astris:
Hos quoque Musa tuo dignos inscribe libello.
Protinus ANCLAMIDUM gressu pernice petatur:
Hic ubi sese offert EGGARDUS Pastor, ab annis
Canus is, & Sophies vir clarus in arte Magister, (isto;
Qui numero accedat censu & reputetur in
Sanguine materno mihi junctus, νῦν δὲ καθεύδων.
Hic Agnate locum assignet tibi charta, MASÆE,
Quem Mystam Stendalia habet, jam tempora canum,
Dimidiumque animæ est mihi qui, dùm vivimus unà.
Tu quoque BERLINUM, magni penetrale Dynastæ,
Doctores binos potis es numerare; COLERUS
Præpositus quorum alter erat, nunc munere eôdem

GUSTROVII fungens cum laude, ſenilibus annis;
Intimus hic meus eſt, ſtudio officioque fidelis,
Mutuo ab antiquis conſtans in amore diebus:
A ſacris Electori PRÆTORIUS alter,
Cœlica regna colens dudum, quibus adde Magiſtrum
KREGÆUM, Hebraicè haud vulgari laude peritum,
Qui NEOBRANDBURGI eſt hoc ſummus tempore Paſtor.
Quos dabis Heroas VIADRINA ACADEMIA nobis?
Anne mihi quatuor Doctorum ſydera ſurgunt?
MUSCULUS, ALBINUS, CORNERUS, PIERIUSque,
Quorum fama Virûm latum compleverat Orbem;
Junge Magiſterii titulis inſignibus auctos
His, HILDRICUM & RADMANNUM, mihi ſemper amicos.
Queîs etiam accedat divino dogmate clarus
GARCÆUS, veteris Brandburgæ Præco ſupremus,
Infula Doctorem quem rubra ornârat eundem.
Mœnia LEUCORIDOS viſamus, Muſa, ſecundò,

Alter

Alter ut annorum ſenſim mihi naſcitur ordo,
Alter amicorum mihi, ſic naſcatur & ordo:
Hic ego divini quatuor memorabo columnas
Dogmatis; ÆGIDI, Peitho doctiſſima fandi,
Noſtra locum meritò tribuunt tibi carmina primum.
Non metris HUTTERE meis indictus abibis,
Qui dignè ÆGIDII cathedramque locumque tueris,
Dùm fluit ore tuo Romana Suada loquela.
Hos penes & GESNERE, locum tibi noſtra decentem
Attribuat, RUNGIque, tuum tibi Muſa relinquat.
Nulla dies ſiquidem memori vos eximet ævo.
LIPSIA, Miſniacæ telluris ocelle, rogabo
Te quoque Primates, tua qui ſubſellia doctis
Erudiere ſonis; DOCTORES quinque rogaris
LIPSIA; præclaros mihi tres rogitare Magiſtros:
Hos mihi da! SELNECCERUM, quem fons Aganippes
Rore Poëtifico gratâ madefecit in umbra,
Nectare Theiologus Codex potavit abundè.
Da quoque SCHILTERUM & BECKERUM, laudibus ambos.

Cœlo

Cœlo miſcendos: HARBARDUM his jungito, primi
Sacrorum ceſſit cui jure Profeſſio cenſus.
Da mihi WEINRICHIUM, geſtantem ſceptra Senatus
Theiologi; quorum non temporis ulla vetuſtas
Orbi adimet laudem; memori mihi mente colendos
Quos equidem ſtatuo, vita dum perfruar aurâ;
Et juveni, mihi qui pro Gnato eſt, obſervandos
More Patrum, ut par eſt, omni pietate fideque.
Amplius hæc ſeries adjuncto creſcat ELIA
HUTTERO & SALMUTH; numerum pertexe TIEZI,
Et tu PAULE, prius calcans veſtigia SAULI,
Judæoque ſatus de ſtemmate, poſtque lavacro
Inſertus Chriſto Baptiſmatis atque renatus.
Aurigare tuis ad cætera mœnia bigis,
Pieri, rimatura viros, quos uſus amicos
Officiumque mihi fecit: tibi prima GRUNERUM
Monſtrabit ſacris ISLEBIA dedita Muſis,
Doctorem eximium, Templis qui præfuit olim.
Saxonicæ famâ præſtans OLEARIUS, Halæ
Antiſtes, noſtris nullo delebitur ævo

Pecto-

Pectoribus; nunquam POLYCARPUS adorea DRESDÆ,
Nec MATHIAS ab HOE flaccescat nobile germen.
Tu quoque IENA Virûm doctorum provida nutrix
Me celebris MYLII doctô sermone beasti,
Et PISCATORIS, linguam profitentis Hebræam.
Hinc antiqua fuit mihi visa ERPHORDIA, magni,
ESAIAS ubi SILBERSCHLAGIUS, agminis instar
Unus erat, voces Hebræas doctus ad unguem,
Attentas mihi queîs mulcebat suaviter aures.
Augebis numerum tu MAGDÆBURGA secundò,
HANIUS, Antistes Templi Cathedralis, ad Austrum
Quod spectat; nostro dederit si nomina libro,
Nomina procera tabulis dignissima Cedri.
Regia ditabit nostras etiã HAFNIA chartas,
Nominis HEMMINGI titulo, magnique MATHISI
Qui ROSCHILDENSIS laudatus Episcopus olim
Audiit, ornatus doctrinæ moribus aptis.

Hacte-

Hactenus hic denos DOCTORES litera dixit;
Nunc plectro undenos referam modulante MAGISTROS,
Finis erit nostri supremus APELLA laboris.
Sascerides primi fiet tibi linea versus.
Subtexam reliquos, quos LUNDIA suggeret Alma.
HENRICUM BRUCHOFIADEM, MAGNUMque MATHIÆ
TYCHICUS haud aberit; primus quorum ille Decanus,
Sacrorum alter erat Prælector, Episcopus alter
Vicinæ SCANIÆ, cui fertilis ubere nomen
Terra dedit, vel pulchra loci & peramœna voluptas.
Hic DETERE veni, quem prona CHILONIA doctis
Præpositi voluit sacrato munere fungi.
Immineo SLESWIGA tibi? SLESWIGA JACOBI
Fabricii Fautrix, æquali munere clari:
Qui pridem veluti CHYTRAEVS (jure) secundus,
Agmina divinis sacrata, dicata Camœnis,
Egregiè doctâ voce informasset in alma

Hacce

Hacce Schola ROSEA; nisi amica repagula PRINCEPS
Opposuisset ei, diuturno doctus ab usu,
Quanta Viri gravitas & quanta peritia rerum.
Te quoque Pastoris defunctum munere, PLEZI,
Pagina nostra feret; te pagina nostra COLETE,
Qui DANTISCANUS veneraris Pastor, habebit.
Sæpè tuos dulcis retulit mihi Epistola sensus,
Sæpè meos etiam retulit tibi Epistola sensus.
Macte SCHWALENBERGI, quem LIPSIA Palladis horto
Clara Professorem linguæ veneratur Hebrææ,
His accede viris, præstantûm stella virorum;
Fœdus amicitiæ tecum quod nuper inivi,
Tempore rumpetur nullo, te semper amabo,
Donec per calidos saliet mihi Spiritus artus.
Ad te ROSTOCHIUM properat remeare Camœna,
Alter ut annus init; sic pullulat ordo bonorum.
Alter amicorum: DANA de gente, CANUTUS,
Prosatus, hic primò venit celebrandus; IVARO
(Qui docet Hebraicè HAFNENSEM cum laude juventam,
Et mihi cum multis aliis est certus amicus.)
Altera pars cedet; cedet pars ultima Gerson,
Quem Judæa quidem Genitrix produxit in auras;

Sed

Sed tamen exutâ Judæi mente, fidelis
Et factus Christi servus de nomine CHRISTI
Sortitus nomen, Baptismi lotus in unda,
Sordida primævi mala purificante reatus.
Hæc dulces Animæ, libuit monumenta decenti
Ponere versiculo VOBIS, nec ponere VOBIS
Hæc tantùm libuit; sed cunctis, quotquot Amicos
Posthàc Hebraam mihi consuetudo parabit
Callentes linguam; quorum clarare perennem
Hæc famam monumenta velim; licet inclyta virtus
Sit Mausoleo dignissima vestra sepulchro.
Ista tamen poterunt memoris paradigmata mentis
Esse æterna meæ, Paulique merere favorem,
Qui me Doctorum jussit meminisse meorum,
Et te, qui legis hæc, jussit meminisse tuorum.

TANTUM!

FINIS DECADIS PRIMÆ.

